
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 N
27

X.101
XXVII.10.F.2.



Digitized by Google

[illegible]

PETRI PETITI

MEDICI PARISIENSIS

DE

LACRYMIS

LIBRI TRES.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud CLAVDIVM CRAMOISY, viâ Carmelitarum, ſub. Sacrificio Abelis.

M. DC. LXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SAPIENTISSIMO VIRO

FRANCISCO GVENALDO,

REGINÆ

PRIMARIO MEDICO,

P. PETITVS S. D.

ETSI *in illo ampliſſimo munere quod tibi nuper delatum eſt, Reginæ valetudinis tuendæ; in illis, inquam, ſummis occupationibus tuis, non temere literulis noſtris interpellandus es, idque facere magna mihi relligio eſt* (GVENALDE MEDICORVM PRÆSTANTISSIME:) *non tamen eum pudorem patiar officio meo obſtare, quo minùs in tam publica Amicorum tuorum, immo & civium gratulatione, tibi quoque voluptatem meam, quâ poſſum ratione, ſignificem. Cujus rei bellam mihi occaſionem oblatam video. Nam cùm hic Libellus à me Patronum peteret, cu-*

jus ſub auſpiciis, ut mos eſt, in vulgus prodiret, tu ſtatim occurriſti, qui eam operam mihi ſeu benevolentia, ſeu authoritate tua præſtare poſſes. Eum ecce tibi dedico offeroque, certus te id, qualecumque eſt, munus eadem humanitate excepturum, quâ me olim ſolitus es, cùm te in urbe vicinum vicinus officii causâ inviſerem. Nec enim, opinor, ingenium tuum mutavit fortuna, aut ulli honores id poſſunt, qui certè tibi haud novi nec improviſi accidunt, poſt tot egregia facinora à te in ſplendidiſſimis perſonis edita, quibus veterum illorum Aſclepiadarum gloriam jampridem æquaſti, immo (ut verum fatear) longè ſuperaſti. Etſi enim magni illi fuiſſe memorantur, ac multa de eorum virtutibus ſcripta ſunt; tamen iis temporibus vixerunt, quibus omnia homines admirabantur; præſertim Græci, immodici ſuarum rerum oſtentatores; tum artes liberales tunc primùm naſcentes ipſa novitate rudes animos facilè in ſui admirationem convertebant. Itaque non erat difficile iis qui tum vivebant, famam comparare, quod nobis hoc tempore difficillimum eſt, in quo magna ubique ingenia occurrunt, omnes autem artes ac diſciplinæ

ad ſummum perducta videntur, nec pauci, ut olim, iis ſtudent, ſed multi in ſingulis perfecti reperiuntur. Attamen in illa multitudine præſtantium Medicorum, qui nunc florent, tu unus inventus es, in quem omnes, ceu in Numen cælo delapſum, oculos conjiciant; cujus auxilium Ægri omnes implorent: Te Plebs, te Optimates, te Principes petunt. Incredibilis quotidie concurſus te conſulentium, te vocantium, ut nec Templum ullum civibus notius tua domo eſſe putem. Quin & ipſe clariſſimus Archiatrorum comes VALLOTIVS, *quem honoris causâ nomino, te appellare, tecum conſilia de maximis rebus conferre non dubitat; tuumque ingenium, prudentiam, fidem ſic probat, ut nullum è regia familia ſibi conjunctiorem habeat. Tum alii Medici collegæ tui ad eos Ægros quos ſuſceperunt, te accerſi, ſibique præponi haud grauantur, & faſces tibi, ceu Parenti aut ſummo Dictatori, libenter ſubmittunt: Quos ſcimus quàm facilè alioqui inter ſe obtrectent, quàmque minimis momentis in ſe invicem invidiæ ſtimulis agantur. Verùm diu eſt quòd tua fortuna ſuperavit invidiam; neque jam quiſquam eſt tam improbus aut petulans, qui tibi obſtri-*

maligne, ſed ſtolide. quid ergo te accenſes in eorum numerum, ac medicum te Pariſienſe ydiras!

Intricate

gillare audeat: quod ipſum non miror. Vt enim omittam probitatem tuam atque humanitatem, quæ pudorem vel impudentiſſimis incutiat, cujus tantæ eſſet importunitatis, eum carpere, quem omnes mortales ſummo conſenſu approbent? cujus furoris eum velle inimicum habere, qui tantùm apud Magiſtratus, Imperatores, Principes poſſit? Quos pleroſque omnes, nunc tuarum rerum defenſores habes, qui illorum vitæ propugnator fuiſti. Quæ cùm perfecta gloria videretur, tamen eam ſuperioribus hiſce annis ſalute maximi Regis à deploratiſſimo morbo expediendâ ita cumulaſti, ut nihil tibi ad ſummam, quanta in Medico eſſe poteſt, authoritatem, deeſſe omnes exiſtimarent. Quid verò & Patriæ hoc facto præſtiteris, omnibus perſpicuum eſſe puto: quæ cùm in Regis capite periclitaretur, eo per te reſtituto, ſimul ab extremis caſibus & periculis præſeruata eſt. Quin illa bona quæ deinceps conſecuta ſunt, illi ipſi operæ tuæ haud dubitem referre accepta. Sic eſt. Tu benefactis tuis viam ad optatam pacem & fortunatum illud conjugium primus aperuiſti, cùm votis Reginæ Parentis nunquam ſatis laudatæ, omniumque civium vim artis tuæ accommodaſti, quæ

diuinæ providentiæ in confirmanda Regis valetudine conſilia explicaret. Quocirca non mirum eſt ſi idem poſtea utilitatis tuæ quam expertus eſt, memor, tibi amantiſſimam Coniugem, divinam THERESIAM *commiſit, cuius valetudinem tueare; idque eo tempore, cùm ea quàm maximè firma atque integra opus eſſet ad graves primæ partionis labores ferendos. Ita enim ſtatuit, quod & omnes fatentur, nihil eſſe in Medicina tam arduum, tam difficile, tam magnum, quod tua virtus præſtare non poſſit. Neque ſolùm te in morbis depellendis præſentiſſimæ eſſe opis, ſed & in pervidendis Naturæ conſiliis, & ad exitum perducendis, perſpicacis pæne ultra modum ingenii humani prudentiæ. Quæ virtutes cùm tibi ſic propriæ ſint, ut tecum natæ, tecum moritaræ videantur, magnam profectò nobis omnibus curam utilitate ſua iniiciunt, cùm ad tuos canos aſpeximus, & cogitamus; tibi qui ad alios ſervandos natus es, eamdem quam Tyrannis, veneficis, ſicariis, atque aliis eiuſcemodi peſtibus neceſſitatem eſſe aliquando ſubeundam. Id ut ſerò accidat precari omnes te credo credere, tuamque incolumitatem ſecundùm Regis maxi-*

gallicismus

mi & regiæ domus ſalutem votis omnium expeti. Quam publicam ſollicitudinem non parum tu quoque ſublevabis, ſi quam in procuranda aliorum valetudine diligentiam oſtendis, eamdem in tua conſervanda tibi ipſe præſtes. Id cùm omnes Naturæ impulſu pro ſe quiſque, faciunt, ut ſuam vitam quibus poſſunt modis tueantur, tu etiam Reipublicæ cauſa facere debes, cui ut nihil ſalute Regis & regiæ domus antiquius eſt, ſic tua maximè neceſſaria eſt propter illam, quæ tuis conſiliis plurimùm nititur. Vale. Lutetiæ Pariſiorum IV. *Cal. Nouemb.* M. DC. LXI.

CLARISSIMO VIRO
PETRO PETITO,
IN
Ejus Librum de lacrymis eruditiſſimum.

ODE.

FONTE *quo manent lacrymæ, quid vltro*
Fœminæ molles, puerique plorent,
Protinus ſicco nova detegentes
Gaudia vultu.
Quid repentino madeant & imbri
Flebiles caſus oculi legentum,
I, Liber, latè populos docere
Quà patet orbis.
Invidæ nec tu timeas catervæ
Dente morderi, teres & rotundus,
Quemque defenſum dabit vſque docti
Fama PETITI.
Huic volens artes geminas Apollo
Quippe conceſſit, Sophia huic viciſſim

Abditas rerum penetrare, datque
Pandere cauſas.
Docta te pubes, ſoboles & alta
Te colet diſcens Luparæ; medentum
Ipſe Rex, curſus tibi quò GVENALDVS
Spondet amicos.
Ille depoſtum prope, Apollinari
Dextera Regem medicans caducas
Spes, & auguſtæ decus unus aſtris
Extulit Aulæ.
Mente qua ſeros memori per annos
Rex tenens caræ nimiùm THERESÆ
Credidit fido Vigili tuendam
Rite ſalutem.
Pæne CONDÆVS *per & hunc malarum*
Igne confectus febrium revixit
Vindicem, & Franci ſtat adhuc Columna
Maxima regni.
Pace iam parta malè diſsidentes
Inter Europæ populos teneri
Neſcius dudum ac Geticis tremendus
Iam Leo campis.
Qualis & ſummâ Iouis aure tortus
Obvium quidquid populatur ignis
Impias iam iam ruiturus auctis
Viribus arces.

CAROLVS DV PERIER.

ΕΙΣ ΔΑΚΡΥΑ ΠΕΤΙΤΟΥ τοῦ σοφωτάτου καὶ ἐλλογιμωτάτου ἀνδρός.

Τίς σε γόου κρυεροῖο, τίς ἰκμάζοντα Πετῖτε
Σημεῖ' ἐξαυδᾶν δριμὺς ἐπῆγε θεός;
Ἀδυγαλέῃ ῥαθαμίγγα πολυκλαύτων ὀδυνάων
Ξηράνθαι ταχέως ἢ τὸ πάρος πέφυκεν,
Ποιεῖς τῆδε βίβλῳ πολυακήρατον, ἄφθιτον αἰεί,
Τὴν ὄφελες παῦσαι σῆς δι' ἀκεστορίης.

A. Ε. Π.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

Cap. I. QVIBVS *nominibus lacrymæ appellentur.* 9
Cap. II. *Quid ſint lacrymæ.* 11
Cap. III. *De materia lacrymarum, ſitne in corpore ante fletum, an in ipſo fletu gignatur.* 14
Cap. IV. *Materiam lacrymarum eſſe in corpore priuſquam erumpant.* 21
Cap. V. *Lacrymas non eſſe excrementum oculorum.* 31
Cap. VI. *An materia lacrymarum ab aliis corporis humoribus diverſa.* 35
Cap. VII. *Quòd lacrymarum materia ſeroſum excrementum ſit, ſicuti urina & ſudor.* 39
Cap. VIII. *Natura ſeroſi humoris inveſtigatur.* 45
Cap. IX. *An ſerum rectè dicatur alimenti vehiculum.* 53
Cap. X. *Quæ ſit materia ſeroſi humoris.* 58

Cap. XI. *Sententia quædam Theophraſti de ſeri ſalſo ſapore expenditur.* 62

Cap. XII. *Quomodo materia lacrymarum in capite colligatur.* 66

Cap. XIII. *Viæ aperiuntur per quas lacrymæ effluunt.* 75

LIBER SECVNDVS.

Caput I. *De cauſis lacyrmarum efficientibus.* 80

Cap. II. *De triſtitia, & quomodo contrahat corpus.* 83

Cap. III. *Quomodo triſtitia lacrymas excutiat.* 92

Cap. IV. *Quomodo lacrymæ in gaudio profluant.* 102

Cap. V. *Cur ſerum potiùs quàm alii humores dolore aut gaudio moueantur.* 112 moueatur

Cap. VI. *De fine lacrymarum.* 115

LIBER TERTIVS.

Præfatio. 125

Probl. I. *An ſolus homo lacrymas emittat.* 216.

Probl. II. *Cur homo primo in lucem ingreſſu fleat.* 137
Probl. III. *Cur tam facilè pueri fleant.* 147
Probl. IV. *Cur proniores ad flendum feminæ.* 152
Probl. V. *An quis citra verum dolorem lacrymas pro arbitrio fundere poſſit.* 155
Probl. VI. *Cur auditus aut lectio rerum miſerabilium lacrymas excutiat.* 159
Probl. VII. *Cur viri boni ad flendum naturâ aptiores.* 164
Probl. VIII. *De iis qui flere non poſſunt.* 175
Probl. IX. *Quomodo fletu leniatur dolor.* 178
Probl. X. *Vnde flendi dulcedo.* 183
Probl. XI. *An fletus ſine voce eſſe poſſit.* 191
Probl. XII. *Cur nonnullis dolor ſine lacrymis.* 193
Probl. XIII. *Cur loquentibus lacrymæ erumpunt, quæ antè non prodibant.* 199
Probl. XIV. *Cur flentium acutior vox, ridentium gravior.* 196
Probl. XV. *Cur flentium lacrymæ calidiores, qui autem expiratur aër frigidior: contrà ridentium lacrymæ frigidiores vi-*

dicantur, anima calidior. 200
Probl. XVI. *Cur lacryma à morbo frigida.* 204
Probl. XVII. *Quomodo fletus dolorem capitis excitet.* 207
Probl. XVIII. *Cur qui equo vehuntur, quò citiùs equus decurrerit, eò magis lacrymas emittant.* 209
Probl. XIX. *Quomodo ſol intuentibus lacrymas excutiat.* 210
Probl. XX. *De aliis quibuſdam lacrymas cientibus.* 217

PETRI PETITI
MEDICI PARISIENSIS
DE LACRYMIS,
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

ETſi ſummus Naturæ interpres Hippocrates libello eleganti περὶ καρδίης venarum uſum perſpiciens, has eſſe dixit fontes ac flumina, quibus humanum corpus rigatur: *αὗται* (inquit) *πηγαὶ φύσιος ἀνθρώπου, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθα ἀνὰ τὸ σῶμα, τοῖσιν ἄρδεται τὸ σκῆνος*. Cùm tamen oculos conſidero, & lacrymas ab ipſis ubertim manantes, iis quoque, & fortaſſe aptiùs, hanc ſententiam judico accommodari poſſe. Primùm quàm ſint lacrymæ ſimiles aquis fontium & fluminum videmus, quàm diſſimilis ſanguis colore,

conſiſtentiâ, &, ſicubi è vaſis exciderit, coagulatione. Videre quoque licet, ut eodem propè modo humor ille aqueus ad oculos confluat, quo aquæ ipſæ per occultos terræ meatus ad fluviorum capita & fontes corrivari ſolent. Quod niſi ita eſſet omnibus perſpicuum, tamen ab antiquis Sapientibus, qui nobis ſapiendi & loquendi auctores exſtiterunt, accipere poſſemus. Cùm enim ii pro ſingulari Naturæ cognitione, quam divinitus habebant, rebus omnibus congruentia nomina imponerent, oculum & fontem eadem voce deſignandum cenſuerunt, quòd affinem eorum naturam intelligerent; ita factum, ut uterque *Ajin* divinâ Hebræorum linguâ appellaretur. Hos deinde inſecutus Homerus & ipſe ſapiens, omniumque literarum ac doctrinarum parens apud Græcos habitus, quoties aliquem inducit flentem, fontis ſimilitudinem adhibet. Vnde illud Iliados π.

Πάτροκλος δ' Ἀχιλῆϊ παρίστατο ποιμένι λαῶν,
Δάκρυα θερμὰ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,

Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

cujus exemplo atque auctoritate reliqui Poëtæ, atque etiam Oratores, cùm de lacrymis loquuntur, aut fontis, aut rivi, aut fluvii nomina libenter uſurpant. Quare & Plinius lib. II. cap. 37. lacrymas *rivos* appellavit: *Hinc fletus*, inquit, *& rigantes ora rivi.* Duo tamen (ne quid diſſimulem) obſtare videntur huic comparationi; fluviorum ſcilicet magnitudo, & perennis curſus; cùm id quod ex oculis fletu effluit, eorum reſpectu, minimum ſit; & brevi admodum tempore effluat: lacrymâ enim (ut ille aiebat) nihil citiùs areſcit. Quod diſcrimen cùm ſit inſigne, magnique Hippocratis auctoritas religionem juſtam objiciat, dictâ retractare non pigebit, modò illud nobis concedatur, ſi minor eſt lacrymarum curſus, quàm ut horum nominum menſuram impleat, ſaltem pluviæ appellationem eumdem ſibi ſuo jure poſſe vindicare. Hujus itaque meteori in Microcoſmo naturam indagare ſtatui, eorum claritudine haud deterritus; qui pridem multa cum lau-

de id argumentum tractarunt. Nam ſi iſti quæ de lacrymis dicenda erant, omnia dixiſſent, ſi cuncta æquâ lance expendiſſent, fruſtra iis, quæ alii rectè dixiſſent, tempus ac literas conſumeremus. Nunc cùm multa ſcitu digniſſima ne attigerint quidem, multa jejunè aut falsò etiam ſcripſerint, inanis operæ arguendi non ſumus, ſi quæ in aliorum tractatibus deſiderantur, explere conamur; aut quæ obſcurè atque etiam inconſultè ſcripta ſunt, ad Philoſophiæ normam ſedulò revocamus.

Sed erunt fortaſſe qui negent rem eſſe ejuſmodi, in qua Philoſophus bonas horas collocare debeat. At ego iſtos, ſi umquam exſtiterint, & importunos rebus addicam neceſſariis, qui fines alienæ induſtriæ præſcribere audeant; & in rebus æſtimandis parum perſpicaces, qui ignorent lacrymarum cognitionem Medicis eſſe utilem ac neceſſariam, cùm ſint ex iis ſignis, quæ morborum cognitionem atque exitum prænuntiant. Iam verò ſi, ut nonnulli autumant, propriæ ſunt hominis lacrymæ ſicut riſus, quis eam ſpeculationem

contemnat, qua humanæ naturæ proprietas inveſtigatur? immo verò quis non eam omnibus, qui ſeipſos cognoſcere volunt, apprime eſſe neceſſariam putet? Quocirca tantùm abeſt ut eam contemplationem operâ noſtrâ indignam putemus, ut affirmare audeamus, vix quicquam eſſe in homine admirabilius, ſi quis penitiùs rem ipſam perſpiciat. Nam ſi orationis facultas tanto in pretio apud omnes habetur, quòd ejus ope animi noſtri cogitationes patefacimus; quanti lacrymas facere debemus, quibus auxilium in maximis difficultatibus imploramus? His Sabinæ olim mulieres diremêre infeſtas acies; his Deum placamus, ejuſque iram multò efficaciùs quàm ullis ſacris extinguimus: his Petrus Apoſtolus perfidiæ in Chriſtum ſcelus expiavit, poſtquam (ut de ipſo Scriptura teſtatur) egreſſus foras flevit amarè. Tum illa mulier, quæ ob vitæ maculas Peccatrix vulgò dicebatur, cùm pedes Domini lacrymis laviſſet, veniam delictorum meruit.

Sed & ipſi Oratores, ubi Iudices vehementiùs permovendi ſunt, ad lacry-

mas, ceu ad ſacram anchoram, confugiunt: quo apertè fatentur, multò majorem in lacrymis vim eſſe ad perſuadendum, quàm in omni apparatu & pompa verborum. Dies me deficiat, ſi omnes lacrymarum utilitates proferre velim. Illud ad ſummam earum commendationem pertinere arbitror, quòd ut quiſque optimo eſt ingenio præditus, ita maximam vim lacrymarum profundit. Argumento eſt Græcorum adagium, ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες, cujus cauſam ſuo loco reddemus. Denique Servatorem noſtrum Dei Filium, cùm hominibus intereſſet, non ſemel fleſſe accepimus; riſiſſe nûmquam. tantò major eſt fletûs dignitas, quàm riſûs. Itaque in Poëtarum monumentis flentes Deos Deaſque paſſim legimus. Nec verò id temerè iſti, ut multa alia. cùm enim non minimùm lacrymæ ex miſericordia profluant, propter quod à Plinio miſericordiæ lacrymæ dicuntur, quæ ex rebus humanis aptiùs quàm lacrymæ ad Deum transferri poſſit, cujus præ aliis attributis maximè celebratur miſericordia? His adjungi poteſt, lacrymas

ab oculis, parte corporis omnium quæ in conſpectu ſunt nobiliſſimâ, prodire, quorum cùm tanta ſit dignitas, tam elegans ſtructura; & ſpecies ſiderei fulgoris, facilè inde æſtimari poteſt, lacrymas oportere aliquid eſſe præclarum & magni momenti, quibus Natura meatus tam eximios aſſignaverit.

CAPVT I.

Quibus nominibus lacrymæ appellentur.

QVIA nominum cognitio non parum ad rei intelligentiam conducit, ob idque Plato, & maximi quique Auctores nomina rerum, de quibus agunt, diligenter explicare ſolent; mihi quoque nominum, quibus lacrymæ indigitantur, vim eſſe aperiendam exiſtimavi. Hunc igitur humorem, quem flendo ex oculis fundimus, Græci δάκρυον nuncupant, cujus vocis originem à morſu Grammatici deducunt, ἀπὸ δακνομένης ψυχῆς γενέσθαι. quod etymon cùm rerum natura comprobet, non te-

merè improbandum cenſeo. Eumdem Latini *lacrymam* appellant, Græcos imitati; dacrumam enim antiquitus dicebant, quod illi δάκρυον, ut de Livio vetuſtiſſimo poëta Feſtus idoneus Auctor teſtatur. Quo refelluntur ii, qui lacrymam à lacerando dictam fingunt, quaſi lacerrimam, inepto planè commento, quod tamen ſecutus eſt Ioannes Manelphus Tractatu quem de Fletu & Lacrymis ſcripſit.

Caſſerius Placentinus, qui de iiſdem Libellum compoſuit, has ab Alexandro Tralliano δρυάδας vocari aſſerit: quod cùm à me obſervatum non meminiſſem, meque incuriæ accuſarem, Tralliani volumen diligentiùs inſpicere ac perluſtrare viſum eſt, quâ tamen indagine numquam dryadas illas reperire potui. Quare optimum hunc virum mendoſo codice deceptum fuiſſe oportet, dum pro ῥυάδα legit δρυάδα. Quid ſit ῥύας, omnibus notum eſt, jugis lacrymarum curſus jacturâ illius carunculæ, quæ ad angulum oculi majorem, ceu vallum oppoſita eſt, cujus affectus etſi lacrymoſi, nomen non

rectè ad ipſas lacrymas transferri manifeſtum eſt. Sunt qui fletum à lacrymis diſtinguant, quòd fletus ſit effuſio ipſa lacrymarum, lacryma verò humor qui effunditur: quam diſtinctionem ut non improbo, ita non valde miror, ut levis momenti, & à pleriſque optimis Scriptoribus neglectam, qui fletum & lacrymas promiſcuè uſurpare ſolent.

Cæterùm, de nominis ambiguo ſignificatu monere fortaſſe ſuperfluum eſt, cùm nemo neſciat apud Theophraſtum, Dioſcoridem, Galenum, Plinium, & alios Naturæ interpretes, lacrymam quoque appellari humorem è ſtirpibus ſponte vel arte diviſis manantem, ut de Myrrha teſtatur Naſo 1. Metamorphoſeon:

Flet tamen, & tepidæ manant de cortice guttæ,
Eſt honor & lacrymis, ſtillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur ævo.

Sed & ulcus δακρυώδης ab Hippocrate lib. περὶ ἀγμῶν appellatur, è quo humor tenuis, ceu ab oculis lippientibus, lacryma exſtillat, quemadmodum ex-

ponit Galenus in Commentario : & vetuſtiſſimis Ægyptiorum Theologis mare lacrymam Saturni nuncupatum refert Plutarchus libro de Iſide & Oſiride : fortè quia mare ſalſum ut lacrymæ ; quam & cauſam videtur habuiſſe Empedocles , cur mare ἱδρῶτα τῆς γῆς, *ſudorem terræ* appellaret : qua de re Ariſtoteles 2. Meteor. 3.

Demum ſpeluncas flere dicunt Poëtæ, cùm ipſarum è ſaxis aquæ ſtillatim decidunt. Lucretius lib. 1.

E ſaxis, è ſpeluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis.

Et quod prodigiis annumerandum eſt, Deorum ſigna lacrymare in templis, ut Maro 1. Georgicon ;

Et mæſtum illacrymat templis ebur.

Hæc de nomine & variis lacrymarum acceptionibus monuiſſe ſufficiat, quibus prætermiſſis tamquam alienis ab hoc inſtituto , ad eas quæ propriè dicuntur , & ex animalium oculis profluunt, ſermonem convertam.

Digitized by Google

CAPVT II.

Quid ſint lacrymæ.

AC primò intelligendum eſt, non uno modo lacrymas eorum ex oculis fluere; quippe vel κατὰ προαίρεσιν, *voluntariè*; vel μὴ κατὰ προαίρεσιν, *involuntariè*, ex Hippocrate Aphoriſ. 52. ſect. 4. ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσι, ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν ἀτοπώτερον. id eſt; *quibus in febribus aut aliis morbis voluntariè illacrymant oculi, abſurdum non eſt; quibus verò præter voluntatem, abſurdius.* Quò etiam ſpectat quod idem habet in Prognoſtico, de oculis loquens; ἢν γὰρ τὴν αὐγὴν φεύγωσιν ἢ δακρύωσιν ἀπροαιρέτως, &c. Item quæ ſcribit in 1. Epid. δάκρυα ἐν τοῖσι ὀξέσι τῶν φλαύρως ἐχόντων, ἑκόντων μὲν χρηστὸν, ἀκόντων δὲ παραῤῥέοντα, κακόν. & in 6. Epid. ſect. 8. ſent. 23. δάκρυα ἑκόντι, ἀέκοντι. quibus locis eamdem diſtinctio-

nem confirmat, damnat autem lacrymas ἀπροαιρέτως fluentes, eas ſolùm innocuas prædicans, quæ κτ' προαίρεσιν funduntur; non quòd προαιρέσει, hoc eſt electione, opus ſit ad lacrymas mittendas, quæ contrà ſæpius dolore, irâ, miſericordiâ commotis invitæ erumpunt, neque ab iis ullo modo retineri poſſunt; ſed quia προαίρεσις pro voluntate nonnumquam accipitur, effectus ſcilicet pro cauſa μετωνυμικῶς, quia electio præcipuus eſt voluntatis effectus. vel potiùs quia nomine προαιρέσεως animi motus intelligi poſſunt, quorum impulſu diverſa in eligendo ſequimur vel refugimus: qua de cauſa priſci Oratores in theatris & populi comitiis utebantur affectibus ad impellendas, quò vellent, hominum voluntates. Quare lacrymari κατὰ προαίρεσιν idem eſt atque ex aliquo animi motu & cauſa externa, quæ vim lacrymas ciendi habeat. Id verò genus lacrymarum non eſſe ἄτοπον, nec mali ominis, ſi ægris accidat, rectè judicat Hippocrates; utpote quòd & ſanis naturaliter accidat. At ſi citra proprium oculorum affe-

ctum, aut cauſam externam laceſſentem, animive motum lacrymentur ægri in morbis acutis, id verò calamitoſum cenſetur, ut quod extremam naturæ imbecillitatem demonſtret, quæ humores ampliùs retinere non valet. De his morientium lacrymis, aut omnino de iis quæ certos oculorum morbos ſequuntur, non agimus nunc, ſed de iis tantùm, quæ ſanis erumpunt cùm triſtitia, aut alio quopiam animi affectu incitantur.

Poſſunt lacrymæ ita acceptæ definiri, ſeroſum excrementum in cerebro naturaliter collectum, perque oculos dolore aut gaudio expreſſum, propter cerebri & oculorum primò, deinde & reliqui corporis expurgationem. Quæ definitio & materiam lacrymarum, & ſedem, & meatus per quos fluunt, & finem indicat. De quibus rebus, ac præſertim fine, qui maximas habet dubitationes, deinceps ſigillatim diſputandum erit, ac primùm de materia, quæ cujuſmodi ſit, & quomodo gignatur, numque ſubſit in corpore ante fletum, an in ipſo fletu gignatur, dubitari poteſt.

CAPVT III.

De materia lacrymarum, ſitne in corpore ante fletum, an in ipſo fletu gignatur.

ID ut primùm excutiam, libet Plinii verba adſcribere, ex quibus & ipſum de hac re dubitaſſe patet, cùm lib. 11. cap. 37. ſic interrogat: *Quis ille humor eſt in dolore tam fæcundus & paratus, aut ubi reliquo tempore?* Simile illud Satyrici de Heraclito, quem aſſiduè fleſſe proditum eſt,

Mirandum eſt unde ille oculis ſuffecerit
humor.

quaſi abſurdum ſit tantam humoris copiam in corpore ita contineri, ut nullum ſui indicium præbeat. Sanè quod revera nullus ſit ante fletum, ex multis intelligi poteſt. Primùm ſi eſt, oſtendatur conceptaculum: τὸ γὰρ ὑγρὸν ἅπαν ἀγγείου δεῖται, inquit Philoſophus libro 3. de part. anim. cap. 5. *Omne humidum vaſe indiget.* At nullum vas in corpore apparet, in quo recipiantur lacrymæ,

non venæ, non arteriæ, non cyſtis biliaria aut urinaria, non glandia, præter quas partes nulla humorum conceptacula in animali obſervantur. In his autem non lacrymæ, ſed aut ſanguis, aut ſpiritus, aut bilis, aut urina (quæ licèt materiâ convenit, differt tamen ſpecie à lacrymis motus utriuſque humoris & loca diverſa indicant, de qua re infrà fuſiùs agendum,) aut demum ſemen, quod in teſtibus qui in numero glandium ponuntur, naturaliter habitat: lacque in mammis feminarum glanduloſis ſcatens ad fœtus nutritionem, quos omnes humores multùm à materia lacrymarum diſtare manifeſtum eſt. Poſſet tamen cordis involucrum proponi non abſurdè, in quo ſcilicet aquoſum humorem fluctuare jamdudum indicavit Hippocrates libello de corde, ita ſcribens: καὶ ἔστιν ἐν αὐτέῳ ὑγρὸν σμικρὸν ὁποῖον οὖρον, ὥστε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίην περιστρέφεσθαι. additque illic eum humorem colligi, ut cor ſanum in cuſtodia floreſcat: γεγένηται δὲ τούτου εἵνεκα ὅκως θάλλεται ῥωσκομένως ἐν φυλακῇ. Quid igitur obſtat quominus is

aſſignetur pro materia lacrymarum? è ſede enim cordis exire lacrymas, atque inde exprimi ad oculos cùm triſtitiâ premitur, vnàque ipſum involvens tunicâ, valde rationi conſentaneum eſt, maximè cùm B. Auguſtinus in libris Confeſſionum lacrymas ſanguinem cordis appellet: *Et de ſanguine* (inquit) *cordis matris meæ per lacrymas ejus, pro me ſacrificabatur tibi.*

Verumenimverò cùm eum humorem, qui in cordis amictu ſervatur, exiguum eſſe dicat Hippocrates, non exiguum verò ſit, ſed copioſum ſæpe quod ex oculis mittimus, & vim lacrymarum profundere ob eam cauſam dicat Marcus Tullius, multò capacius lacrymis excipiendis conceptaculum aſſignandum eſſet, cujuſmodi eſſe nullum in corpore jam oſtendimus. Quòd ſi non habent lacrymæ in corpore ubi cuſtodiantur, ſupereſt ut de novo gignatur ille humor, cùm flemus, totieſque incipiat, quoties effunditur: cui ſententiæ ſuffragari videtur Thomas Aquinas, cùm part. 3. quæſt. 97. art. 3. negat fieri poſſe, ut damnati poſt reſur-

reſurrectionem lacrymas emittant, quòd reſolutio lacrymarum non poſſit intelligi abſque generatione humoris illius qui fletu exſtillat; poſt illum autem diem, quo omnium hominum corpora excitabuntur è ſepulcris, & denuò animis ſuis unientur, ſublato cælorum motu nulla futura ſit generatio aut corruptio. Eandem opinionem tuetur Meletius libro de hominis ſtructura, & è recentioribus Renatus Carteſius eo tractatu quem de animi affectibus conſcripſit, ubi ſtatuit vapores, quos dolor majore in oculis, humidis partibus, quàm alibi, copiâ excitat, conſtrictis triſtitiâ meatibus ita condenſari, ut in liquorem vertantur; quemadmodum in aliis videre eſt, & perpetuâ experientiâ fieri cognoſcitur, ut ſpirituum vaporumque condenſatione aqua generetur.

Id ipſum & ex deſtillationum natura intelligi poteſt, earum ſcilicet, quæ à cerebro in partes ſubjectas deſcendunt, quas ex vaporibus ad caput ſublatis, mutatiſque in aquam, dum cerebri frigiditate denſantur, fieri compertum eſt;

quod & Philoſophus aſſerit lib. 2. de part. anim. cap. 7. διὸ καὶ τὰ ῥεύματα τοῖς σώμασιν ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τὴν ἀρχήν, ὅσοις ἂν ᾖ τὰ περὶ τὸν ἐγκέφαλον ψυχρότερα τῆς ἐμμέτρου κράσεως. ἀναθυμιωμένης γὰρ διὰ τῶν φλεβῶν ἄνω τῆς τροφῆς, τὸ περίττωμα ψυχόμενον διὰ τὴν τοῦ τόπου δύναμιν ῥεύματα ποιεῖ φλέγματος καὶ ἰχῶρος. Si igitur eo modo è cerebro deſtillationes proveniunt, cur non & lacrymæ in quibus & vapores ſimiliter denſari poſſunt? Quod autem in triſtitia vapores plures ſurſum tollantur, declarabitur infrà, ubi de cauſis lacrymarum efficientibus agemus. Ad ſummum, quæ eſt ratio ſudoris gignendi in ambitu corporis, eadem videtur eſſe lacrymarum ex oculis manantium, quas ſudorem quemdam eſſe docet Ariſtoteles ſect. 5. probl. 35. τὸ δὲ δάκρυον ἱδρώς τίς ἐστι. At ſudorem ex ſpiritu in humorem converſo, poſtquam ad corporis meatus impegerit, progigni docet Hippocrates lib. περὶ φυσῶν, τοῦ δὲ πνεύματος προσπίπτοντος: πρὸς τοὺς πόρους τοῦ σώματος οἱ ἱδρῶτες γίνονται, cui ſententiæ accedens Ariſtoteles probl. 20. ſect. 2. ait : ἐκ τοῦ πνεύματος πυκνουμένου

ὑγρότης γίνεται ὁ καλούμενος ἱδρώς. Vrget denique experientia, quâ compertum eſt, eos qui æſtuantes frigidam multam affatim ingurgitaverint, mox ſudore immodico totos diffluere, cùm tamen aquæ ſubſtantia tam citò in habitum corporis tranſiſſe non poſſit; quare reſtat ut vapores ab aqua excitatos, inque humorem denſatos, ſudoris illius repentini cauſam ſtatuamus cum Fernelio, qui talem ſudoris generationem tradit lib. 4. Pathol. cap. 10.

His ſi & Homerum teſtem adjungam, fortaſſe haud prudenter faciam; attamen more & exemplo eruditorum, qui hunc cœcum omnia vidiſſe autumant, inque eius poëſi omnium diſciplinarum ſemina inveniunt. Is igitur eam lacrymarum generationem innuere videtur, cùm nubem doloris fingit, quo vehementiùs lugentes tegantur.

Ὣς φάτο· τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

Nubis enim nomine vapores intelligerem, quos in triſtitia excitari diximus: ex quibus deinde in humorem converſis lacrymæ gignantur. Ita & Æſchy-

lus ſummus Homeri admirator, utpote qui ſuas tragœdias nihil aliud quàm τεμάχη τῶν μεγάλων Ομήρου δείπνων particulas magnarum Homeri cœnarum eſſe dicebat, congruenter Homero nebulas lacrymarum fœcundas poſuit in Prometheo;

φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις
Ομίχλη προσῆξε πλήρης
Δακρύων:

Quibus & Achilles Tatius adjungi poteſt, nubem quoque doloris inducens lib. 6. de Clitophonte & Leucip. amoribus; νέφος (inquit) αὐτῇ κατεχύθη λύπης. Poſtremò in oraculis pluviam pro lacrymis αἰνιγματωδῶς aliquando uſurpatam legimus in hiſtoria Phalanthi apud Pauſaniam. Nam cùm is reſponſum à Deo accepiſſet, fore, ut tunc agro atque urbe Tarento potiretur, cùm ſub æthra (quæ vox cæli ſerenitatem indicat) pluviam vidiſſet; ſecundùm illud oraculum in Italiam profectus eſt; ubi initâ cum barbaris pugnâ victoriam quidem rettulit; cæterùm neque agrum neque urbem cepit. Quod ægrè ferens, & oraculi verba ſecum repu-

tans,animum prorſus deſpondit, quòd fieri poſſe non putaret, ut cœlo ſereno plueret. In illo mœrore accidit, ut jacens in gremium uxoris caput rejiceret, quæ & ipſa mœrens, vicemque mariti dolens, caput ipſius mulcebat, donec in fletum ſoluta lacrymis multis jacentem ſpargeret. Tum verò pluviam ab Æthra (id nomen mulieri erat) manantem agnovit Phalanthus, perſpectoque oraculi ſenſu animum confirmavit, & in ſpem melioris fortunæ erexit.

CAPVT IV.

Materiam lacrymarum eſſe in corpore priuſquam erumpant.

HÆc illi pro temporaria lacrymarum generatione afferunt, quæ licèt primo aſpectu probabilia videantur, tamen penitiùs inſpecta non placent. Vt enim detur, vapores quoſdam efferri ad oculos in triſtitia, ex iiſque denſatis humorem effici, tamen is non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

poteſt eſſe tota materia lacrymarum, quas nonnulli interdum per plures dies, immo & menſes penè aſſiduè profundunt. Neque tam ſubitò vapores attolli, & in aquam converti poſſunt, quàm lacrymas excuti videmus. Nam ad ipſas eliciendas vel levem afflatum ſinapi, cæparum, alliorum, aut corticis Aranciorum, aut venti appulſum ad oculos, fumi, pulveris ſufficere nemo neſcit; quas res tam promptè lacrymæ ſequuntur, ut vaporum in aquam tranſmutationem interceſſiſſe impoſſibile ſit. Neque eſt quod quis cauſetur, lacrymas quæ ſic funduntur, non eſſe veras lacrymas, quòd non dolor aut alius quiſpiam animi motus præceſſerit; non agimus enim nunc de cauſis moventibus, ſed de materia, quam eſſe eandem lacrymarum, quocumque modo eliciantur, certum eſt.

Quod ſpectat ad auctoritates & argumenta, quæ pro illa ſententia propoſita ſunt, ea non magno negotio aut explicari, aut convelli poſſunt. Nam quod D. Thomas negat reſolutionem lacrymarum in damnatis poſt reſurre-

ctionē, potiùs ad motum & effuſionem humoris pertinet quàm ad generationem, quæ effuſio cùm nova alteratione ac liquefactione humoris agatur, non magis poſt reſurrectionem eſſe poterit quàm generatio, quæ fortaſſis non tam propter ſe præcisè motum cælorum requirit, quàm propter alterationem, quæ ad omnem naturalem generationem neceſſaria eſt. Quòd ſi quis contendat de generatione lacrymarum eum locum intelligendum eſſe, non multùm pugnabo, modo mihi viciſſim concedatur, quòd philoſophis omnibus concedendum eſt, ut ab Auctorum vel maximorum ſententia diſcedere liceat, cùm minùs rationi conſentanea dicere videbuntur. Valeat proinde & Meletius, faceſſat Carteſius, qui ſi hîc opinionem habuit nec probabilem, nec ſatis idoneam, fecit ſuo more: nihil enim umquam magis timuit vir ille, nihil majore ſtudio cavit, quàm ne ulla in re ipſi cum quoquam uſquam conveniret. Ex quo factum eſt, ut nobis tot monſtra opinionum relinqueret, ad quæ procuranda haruſpice

potiùs opus ſit, quàm cenſore ad confutanda. Quid enim abſurdius, quàm ex vaporibus, qui in oculis exiſtunt, quicquid lacrymarum emittitur, gigni dicere? Quis credat oculos tantùm vaporum capere poſſe, qui ſi toti in vapores abeant, vix tot humoribus, quot flentes profundunt, creandis ſufficiant. Si quis verò pro eo reſpondeat, vapores omnes non gigni in oculis, nec iis contineri, ſed ad ipſos aliunde confluere; primùm quidem ipſum remittam ad librum Carteſij, ut judicet, num ita is ſenſerit, quod mihi non videtur: deinde ut conſideret, num ſit veriſimile, ſi qui in triſtitia vapores ſurſum tollantur, eos univerſos ad oculos converti; cùm cerebrum & ſitu & figurâ ad eos excipiendos & continendos atque in aquam denſandos tantò ſit aptius atque accommodatius. Nam & halitibus ſurſum tendentibus κατ' ἴξιν reſpondet, haud ſecus ac deſtillatorii vaſis faſtigium earum rerum fumis quæ deſtillantur: tum ſinus habet vaporum capaces, cùm in oculis nullum ſpatium oſtendi poſſit in quo ii recipiantur. Sed

neque rationi conſentaneum eſt, eam partem quæ puriſſima eſſe debeat, & modo ſpeculi nitida, ut pote viſus ſenſuum puriſſimi, nobiliſſimique organum, ceu portum ac ſtationem eſſe factam, quò partium inferiorum fumi, halitus, nebulæ appellant, & ubi perpetuò conſiſtant. An ne tot exhalationibus nidiſſima hæc ſpecula non pollui credamus dubitemuſve? Et ſanè nihil magis caviſſe Naturam, quàm ne ad illos vapores turbidi ſubirent, ex ipſorum ſtructura perſpici poteſt: non ſolùm enim denſiſſimis membranis humores ipſorum ſepſit, ſed & oculos multo circumcirca adipe circumfudit, qui ſua denſitate unctuosâ vel minimos vapores arceret. Quare hæc opinio ut Naturæ injuria penituſque abſurda, procul ab ipſius ſacrario exterminetur.

Conſequens eſt ut eos quoque repellamus, qui à ſimili arguunt lacrymas gigni è vaporibus, quoniam & catarrhi eo modo gignantur, quibus ſimiles lacrymæ. Etſi enim ex vaporibus aliquid humoris quod flendo effluat, fieri poſſe non negamus, tamen id fletui ſufficere

planè inficiamur: ſicut nec iis humoribus quos in gravedine & catarrho, per oculos, per nares, & palatum flemus, emungimus, ſpuimus, vapores ulli ſufficiant. Vnde eos meritò caſtigat Fernelius, qui Aviſennam ſecuti, omnem deſtillationum materiam ſolis vaporibus è jecore ſurſum elatis acceptam referunt, licèt non id primus dixit Aviſenna. Sed multò ante Ariſtoteles eo loco quem ſuprà indicavimus, & lib. 2. de plantis cap. 1. ſi tamen eorum librorum auctor Ariſtoteles, quod multi negant. Sententia autem Fernelii eſt, humidiore victu, capitiſque imbecillitate atque intemperie frigida humores qui in catarrhis redundant, creari, non vaporibus denſatis, ſed ſanguine, quo cerebrum alitur, non planè concocto. Tunc enim non poteſt aſſimilari is, ſed inſtar aliorum excrementorum redundat, & tandem majore copia cumulatus proprio pondere decidit in partes ſubjectas, quod καταῤῥοις i. *deſtillatio* Græcis dicitur. Id & Galeni auctoritate confirmari poteſt, qui lib. 6. de ſympt. cauſis eadem mente hæc ſcripſit: οἷον αὐτίκα καὶ καταῤῥου καὶ κο-

ρύζης αἴτιος ὁ ἐγκέφαλος. ἐν μὲν ταῖς ψύξεσιν ὡς ὁμοιομερὴς εἰς δυσκρασίαν ἀγόμενος, ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς ἐγκαύσεσιν. ὡς ὀργανικὸς δὲ πληρούμενος. Id eſt; *quomodo ſtatim deſtillationis & gravedinis cauſa ſit cerebrum: per frigora quidem, dum quatenus eſt pars conſimilis refrigeratur: ſicut & per æſtus immodicos, cùm ut pars organica impletur.*

Verba Hippocratis de ſudoris generatione non ei opinioni ſuffragantur, ſi rectè intelligantur. Scribens enim ſpiritu ad poros corporis appulſo ſudores effici, non intelligit ex ſpiritu tanquam ex materia ſudores creari, ſed ſpiritus impulſu moveri humores ad corporis habitum, ibique attenuatos ejuſdem calore, mox foras per poros excerni. Quæ reſponſio ſi cui non ſatisfacit propter locum Ariſtotelis ſuprà adductum, ubi ſudorem gigni ἐκ τοῦ πνεύματος πυκνουμένου, ex ſpiritu denſato aſſerit, (quæ verba ſudorem ex ſpiritu tanquam ex materia creari ſignificant) dicemus, eos cùm id ſcriberent, non omnem ſudorem intellexiſſe, ſed eum tantùm qui motu vehementiore cietur. Cùm enim corpus intenſiùs movetur, multi

ſpiritus & vapores in ambitum corporis trahuntur, qui mox ſub cute denſiore in humorem concreſcunt. Vt ut ſit, conſtat Ariſtotelem ſudoris materiam poſuiſſe humorem corpore contentum, ſicut urinam, ut ex capite 3. lib. 2. Meteωron patet, ubi ſudorem amarum non ex vaporibus, ſed ex dulci poculo fieri teſtatur, ἐκ γλυκέος (inquit) τοῦ πόματος ἁλμυρὸς γίνεται ὁ ἱδρώς. Idemque problemate 4. ſect. 2. ſudorem ὑγρὸν ἄπεπτον humorem incoctilem vocat, qui ſcilicet in corpore cum aliis humoribus coqui non potuit. Sed & problemate 4. ejuſdem ſectionis quærens, cur parte ſuperiore ſudores potiùs erumpant, reſpondet; caloris motu id fieri, qui dum ſurſum tendit, humorem ſecum attollat: τὸ θερμὸν ἄνω καὶ ἀνέρχεται, καὶ ἔστι ἄνω· τοῦτο δὲ ἄνω φέρει τὸ ὑγρόν. ex quibus verbis patet ſpiritus non eſſe materiam ſudoris, ſed vehiculum ad aſcenſionem. Eodem modo intelligendum eſt, quod ait, eodem problemate: ὅτι πνεῦμα ποιεῖ τὸν ἱδρῶτα· τοῦτο δὲ ἐν τοῖς ἄνω. *quia ſpiritus ſudorem efficit: is verò in ſuperioribus.* Nam ibi verbum, ποιεῖ-

θαι non ſignificat gignere, ſed movere atque impellere: quomodo & facere aliquando Latini uſurpant, ut cùm Plinius lib. 32. cap. 10. ait: *Sanguinem fieri piſcium cibo putant: ſiſti Polypo tuſo illitoque.* Vbi patet *fieri* poſitum, pro *moveri aut incitari*, utpote quòd verbo *ſiſti* opponatur. Vnde & Theodorus id animadvertens, ποιεῖσθαι vertit movere: & in commentario Aponenſis congruenter huic verſioni, hunc locum expoſuit.

Quidam non contenti lacrymas ex vaporibus genuiſſe, partes inſuper nominant, unde ſinguli vapores oriantur; nempe ſtomachum, jecur, lienem & cor: aiuntque narium nuccum à ſtomacho eſſe, aurium ſordes à jecore, lacrymas à corde. Conjectura ex ſitu inſtrumentorum, & analogia effectus ad cauſam efficientem: quoniam, inquiunt, nobilior rei eventus nobiliorem ſequatur cauſam, ob id lacrymas cordis evaporationi eſſe adſcribendas. Hæc Manelphus ex Cœlio; quæ quam infirmo fundamento nitantur, patet conſideranti. Nam cùm vapores inſtar aëris

latè diffundantur, quî fieri poteſt ut ſimul aſſurgentes non miſceantur? ſi autem miſcentur, quomodo poſſunt denuò ſegregari inter ſe, ut ſinguli ad proprium locum demigrent, quæve facultas in corpore id divortium facit? An ipſi vapores, poſtquam ad caput pervenerunt, ſponte moventur ad ſuum quiſque diverſorium; ceu peregrinantes cùm ad locum deſtinatum pervenerunt? Hæc ficta eſſe ad animi libidinem ab hominibus otioſis, nemo non videt, quæ & aliter poſſunt coargui vel unius exemplo cypſelidis, quam volunt de vaporibus jecoris colligi, hac conjectura; quod cypſelis amara ſit & flavi coloris ut bilis, cujus veſica in hepate: ita enim dicant, neceſſe eſt. At ſciant cypſelidem non differre ab eo excremento, quod unà cum fuliginoſo & halituoſo ſecernitur in tertia coctione & in ſuperficie corporis conſiſtens ad cuticulam agglutinatur (ſordes vulgò appellant) niſi quod in aurium cochlea, majore capia collectum, magis conſpicuum eſt. Color certè & ſapor iis idem, qui cypſelidi. Ex his igitur abundè perſpici-

tur, quàm ſit futilis hæc vaporum diſtinctio.

CAPVT V.

Lacrymas non eſſe excrementum oculorum.

SED nec ii audiendi, qui lacrymas id eſſe putant, quod redundat ex nutritione oculorum, licèt id viris magnis placuiſſe ſciam, in quibus eſt Fabricius ab Aquapendente Philoſophiæ & Anatomes peritiſſimus. Cujus ſententiæ momenta & rationes non excutio poſt Vopiſc. Fortunatum Plempium, qui id præſtitit in ophtalmographia, & falſum eſſe ſubtiliſſimis argumentis probavit. Sanè ſi lacrymæ ſunt oculorum excrementa, cùm earum tanta ſit copia; quantum eſſe deberet, quod in pulmonibus poſt nutritionem remanet? ſi pro mole partium eſt modus excrementorũ, tantò major in pulmonibus quàm oculis quantitas excrementorum fieri deberet, quantò illorum major amplitudo

quàm oculorum. Quare quod iis ſuperfluit, lacrymarum duplum, imò multiplex eſſe oporteret; & ad eum modum ex aliis membris majoribus tantùm ſecedere, quantùm non veſicis ſed doliis caperetur: ut contra Lycum arguit Galenus, ponentem urinam eſſe excrementum renum.

Nec refert, lacrymarum frequentiâ aut paucitate cognoſci, quo ſint præditi oculi temperamento, ut vult Haly ſcribens. 1. Theoric. cap. 11. multas lacrymas eſſe judicium humidæ oculorum temperaturæ, & contrà paucas ſiccioris; quod & Galenus aſſerit artis medicæ cap.24. ὑγροὶ μὲν, inquit, μαλακοί τε ἅμα καὶ πληρεῖς ὑγρότητος. ex quo ſequi videtur lacrymas ex oculis ceu proprium excrementum prodire, alioqui enim ipſorum temperiem non indicarent: nihil, inquã, id refert. Nam etſi materia lacrymarum aliunde ad oculos venit, nihilominus de eorum temperie teſtari poteſt, quia humidi & molles humorem è partibus vicinis faciliùs ſuſcipiunt, neque diſcutere valent, propter imbecillitatem: contrà calidi & ſicci neque admittunt

tunt facilè, & ſi quando admittunt, non diu patiuntur, ſed maturè ob robur diſcutiunt. Dici etiam poteſt id accidere, quia ferè qualis oculorum, talis & cerebri temperies eſſe ſolet, propter magnam conjunctionem earum partium. Vnde vix poteſt fieri, ut ſint oculi humidi, quin & cerebrum itidem ſit. Tale autem multos à toto corpore excipit humores, maximè & ſi calidum ſit; aut certè procreat, & paulatim cumulat; quorum bonam partem oculis ob vicinitatem tranſmitti neceſſe eſt. Hincque eſt quod in diuturnis oculorum fluxionibus, primùm cerebri rationem eſſe habendam docet Galenus, ceu fontis unde illi humores defluunt: καὶ τά γε (inquit 13. Method.) χρονίζοντα τῶν ὀφθαλμῶν ῥεύματα θεραπευόμενοι, ἀφιστάμενοι μὲν αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν, ἐπὶ δὲ τὴν τῆς κεφαλῆς ἀφικνούμενοι πρόνοιαν.

Cæterùm eſt alia opinio, & quidem, (ut videtur) omnium abſurdiſſima; ut non multis verbis opus ſit ad eam confutandam. Putat Caſſius, is qui cognominatus eſt Iatroſophiſta, in iis problematis quæ περὶ ζώων καὶ τετραπόδων

conſcripſit, lacrymas partem eſſe humoris oculorum aquei, quæ reſolvatur cùm flemus: τοῦτο (inquit) κατάδηλον, ὅτι ὀφθαλμὸς ὑγρὰ περιέχει τό τι ὑδατῶδες, ἀφ' οὗ τὸ δάκρυον. quæ verba ipſius inſcitiam in Phyſicis & Anatomicis demonſtrant, qui neſciat humorem illum qui à conſiſtentia aquoſum dicitur, genuinam eſſe oculi partem, cujus ſi quid pereat, actum ſit de viſu. Nam quod Galenus lib. 4. de ſympt. cauſ. cuidam puero accidiſſe refert, ut ex vulnere juxta pupillam accepto humor ille effuſus, poſtea inſtauraretur, rariſſimum eſt, & Galeno ipſo judice, pro monſtro habendum; quod autem eſt ejuſmodi, ſub ſcientiam non cadit, quæ ſtatos rerum eventus tantùm conſiderat.

Minùs abſurda eſt eorum opinio, qui in cerebri excrementis lacrymas numerant, quod Plempius citato loco exiſtimavit. Quamquam idem mox ratione diligentiùs ſubductâ aliter ſtatuit: quod lacrymæ tenuiſſimæ ſint, vera cerebri excrementa craſſa & viſcida: hinc enim μητρόπολις ψυχροῦ καὶ κολλώδεος ab Hippocrate appellatur lib. περὶ ἀρχῶν.

Quocirca aut ea omnino nihil ad naturam lacrymarum pertinent, aut ſi pertinent, tenuiore eaque copioſiore ſubſtantia quapiam dilui neceſſe eſt, quæ idcirco propria lacrymarum materia ſtatuetur: ſi quidem ab eo quod prævalet, nomina imponi ſolent.

CAPVT VI.

An materia lacrymarum ab aliis corporis humoribus diverſa.

SVPEREST igitur, ut, quæ ſit ea materia, inveſtigemus: fortaſſe enim naturam habet ſingularem, & ab aliorum humorum naturâ diverſam: quod videtur exiſtimaſſe Ariſtoteles, cùm in problemate 27. ſect. 4. lacrymis proprium conceptaculum, ſicut aliis humoribus ſpecie diverſis tributum teſtatur: ὅτι πρὸς ἑκάστῃ περιττώσει τόπος εἰς ὃν πέφυκεν ἀποκρίνεσθαι κατὰ φύσιν, καὶ τοῦ γινομένου τὸ πνεῦμα ἐξιὸν ἀνοιδεῖν ποιεῖ, καὶ συνεκκρίνει αὐτὴν, οἷον τὸ μὲν ὑγρὸν εἰς κύστιν· ἡ δ' ἐξικμασμένη τροφὴ εἰς κοιλίαν· τὸ δὲ δά-

χρυον εἰς ὄμματα· &c. *Quòd excrementis ſingulis locus determinatus à Natura eſt, in quem inſtituto ſecerni naturali debeat, ſolicitaque natura ſpiritûs excurrens tumorem admovet, excrementumque vnà extrudere ſolet. verbi causâ, urinam in veſicam, cibum conſumptum in alvum, lacrymam in oculos*, &c. cui ſententiæ ſimilem poſuit Aretæus in ſecundo de cauſſis & ſignis morborum diuturnorum cap. 15. παντὶ μὲν (inquit) τὸ θερμὸν εἰς πέψιν, παντὶ δὲ ὑγρῶν γέννα καὶ διάκρισις, ἄλλων μὲν ἄλλη, ἑκάστῳ δὲ οἰκείη· ἐν σαρκὶ μὲν ἱδρώς, ἐν ὀφθαλμοῖσι δὲ δάκρυον· ἐν ἄρθροισι δὲ καὶ ῥινὶ μύξη, ἐν ὠσὶ κυψελίς. i. *In omnibus corporis partibus calor ad concoquendum inſitus eſt: in omnibus item humorum eſt creatio ac ſeparatio; ſed aliorum alia, ſingulis autem propria, utpote in carne ſudor, in oculis lacryma, in articulis & naribus mucus, in auribus cypſelis, quam marmoratam Latini appellant.* Eodem modo lacrymas ab aliis excrementis diſtinguit Hippocrates lib. 6. Epidem. ſect. 5. text. 3. δάκρυα, ῥινῶν ὑγρότης, πταρμοί, ὠτὸς ῥύπος, &c. Item Vitruvius lib. 8. cap. 4. ita enim ſcribit:

Cùm hæc tanta varietas ſit diſparibus natura tributa, quod humanum corpus eſt ex aliqua parte terrenum; in eo autem multa genera ſunt humorum, uti ſanguinis, lactis, ſudoris, urinæ, lacrymarum. Quæ profectò auctoritates ambigere faciunt, num rectè lacrymæ ſeroſum excrementum dicantur; præſertim proprii loci diverſitas, quæ diverſam corporum naturam arguit, ut in aliis videre eſt. Namque ignis quia maximè ab aqua diſſidet, & aër à terra, idcirco unumquodque horum elementorum proprium locum obtinet: ſupremum ignis, proximum aër, terra & aqua infimum. Ratio eſt, quia, ut docet Ariſtoteles, locus naturalis velut forma eſt & perfectio locati: τὸ δὲ εἰς τὸν αὑτοῦ τόπον φέρεσθαι ἕκαστον, τὸ εἰς τὸ αὑτοῦ εἶδός ἐστι φέρεσθαι, inquit 4. de cælo. & rurſus 4. phyſic. τὸ μὲν ὕδωρ ὕλη ἀέρος· ὁ δὲ ἀὴρ οἷον ἐνέργειά τις ἐκείνου. Sunt autem in animali loca naturalia humorum, eæ partes in quibus naturaliter conſiſtunt: quæ proinde diverſis humoribus diverſa eſſe debent. Cùm igitur & lacrymæ proprium conceptaculum ha-

beant, ſicut bilis, cypſelis, ſanguis; ſequitur & earum, perinde ut illorum humorum, formam eſſe peculiarem, & ab aliorum naturâ diverſam.

Accedit, quod proprius eſt & peculiaris motus lacrymarum quas certi tantùm animi affectus cient; ex quo etiam infertur diverſitas, propter proportionem quæ inter motorem & motum intercedere debet. Non enim triſtitia, opinor, ſudorem perinde aut urinam movet, ut lacrymas; cujus diſcriminis aliam cauſam non video, niſi quòd harum natura ſit, ut poſſint moveri ab iis affectibus, non verò aliorum humorum: ſicut ſemen genitale ab imaginatione aut ſenſu venereæ voluptatis non aliunde cieri poteſt. Quomodò igitur ſemen diverſum ſpecie ab aliis humoribus facimus, ita & lacrymas ſui eſſe generis ſtatuendũ videtur. Hanc eandem diverſitatem indicant ſudores per anni æſtus aut labores toto corpore manantes, cùm interim ne minima quidem lacrymarũ ſtilla effluat; quod non eſſet, ſi eadẽ eſſet lacrymarum & ſudoris ratio. Quin hiberno tempore nihilo ſecius quàm æſti-

vo lacrymæ erumpunt, licèt conſtrictis frigore ambientis cutis meatibus, nulli tunc ſudores fluant. Hæc nobis diſcutienda ſunt, qui lacrymas, uti ſudores atque urinam, ſeroſum excrementum cenſemus, idque auctoritate maximorum Philoſophorum, qui id ſcriptis ſuis conſignaverunt, quibus & longè firmiſſima argumenta accedunt.

CAPVT VII.

Quod lacrymarum materia ſeroſum excrementum ſit, ſicuti urina & ſudor.

PLATO igitur in Timeo ſudorem & lacrymas pituitæ conſiſtentis ſerum appellat: φλέγματος δὲ νεόυ ξυνισαμένου ὀῤῥὸς ἱδρὼς καὶ δάκρυον, ὅσα τε ἄλλα τοιαῦτα σῶμα τὸ καθ᾽ ἡμέραν χεῖται καθαιρόμενον. quem ſequitur Ariſtoteles ſententia illa quam ſuprà adducebamus ex quinta ſectione quæſtionum naturalium: τὸ δὲ δάκρυον ἱδρώς τις ἐστι. *lacryma ſudor quidam eſt.* Sudor enim indubiè ſeroſum excrementum eſt. Idem

lib. 3. hiſt. cap. 3. cùm inutilia excrementa animalium enumeraret, ſtercoris, pituitæ, bilis flavæ & nigræ ſolùm mentionem fecit: ſudorem, & urinam, & lacrymas, & aurium ſordes ſilentio prætermiſit; non quia horum eſſet oblitus, aut negligens; ſed quia, ut Scaliger in commentario advertit, hæc ad illa referuntur: non poſſunt autem lacrymæ ad pituitam & alia ejuſcemodi excrementa referri, niſi propter eorum ſerum, cum quo iis ea ratione quâ ſerum ſunt, convenit. His ſubſcribit Theophraſtus, & τὸ ὑδατῶδες *aquoſum excrementum* genus pituitæ & lacrymæ facit lib. περὶ ἱδρώτων, ita ſcribens: τὸ δ' ἐπιπολῆς ὑδατῶδες ὥσπερ τὸ φλέγμα καὶ δάκρυον. Vbi aquoſi nomine id ipſum intelligit quod ſeroſum excrementum appellamus, Plato ὀῤῥὸν φλέγματος citato loco; Ariſtoteles ἰχῶρα, de cujus natura infrà accuratiùs dicemus. Sed & Empedocles, ut refert Galenus in hiſtoria Philoſophica, eadem mente dixit, ἱδρῶτα καὶ δάκρυον γίνεσθαι τηκομένου τοῦ αἵματος, καὶ περὶ τὸ λεπτύνεσθαι διαχεομένου: *ſudorem & lacrymam gigni ſangui-*

ne liquato & ob attenuationem diffuſo. Sanguis enim liquatur, cùm in ſerum abit; idemque ſeri commiſtione tenuatur atque diffunditur. Ejuſdem ſententiam refert Plutarchus in Sympoſiacis, qua lacrymam è ſanguine turbato haud ſecus exprimi ac ſerum è lacte aſſerit; verba hæc ſunt: ἔνιοι δὲ φασιν, ὥσπερ γάλακτος ὀῤῥὸν τοῦ αἵματος ταραχθέντος ἐκκρίνεσθαι τὸ δάκρυον, ὡς Ἐμπεδοκλῆς.

His magnorum virorum auctoritatibus ſenſus adjungi poſſunt, quibus fidem habendam cenſet Philoſophus ab iis, qui rerum eſſentias cognoſcere cupiunt, utpote qui animos noſtros via ac tramite accidentium in illa penetralia Naturæ introducant, unde illud eiuſdem lib. I. de Anima: τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδῆσαι τὸ τί ἐστιν. *accidentia plurimùm conferunt ad cognoſcendam cujuſque rei eſſentiam.* Cùm igitur ſenſus eaſdem qualitates in lacrymis & aliis ſeroſis excrementis agnoſcant; eandem ſcilicet conſiſtentiam, & ſaporem; non eſt quod dubitemus, eandem horum om-

nium ſubſtantiam fateri.

Cæterùm quæ in contrariam partem diſputata ſunt, non magno negotio refelli poſſunt. Auctoritas Ariſtotelis qua unicuique humori locus proprius, in hiſque ſuus & lacrymis conſtituitur, quo arguebatur, lacrymas ab aliis humoribus ſpecie differre, utpote quæ locum determinatum habeant; hæc, inquam, auctoritas minimè receptæ opinioni obſtat. Locus enim humorum in corpore bifariã intelligi poteſt; primùm in quo humores ad aliquod tempus continentur, ut in venis & arteriis ſanguis, in cyſti fellea bilis, in ventriculo chylus. (quomodo acceptus locus arguit diverſitatem humorum, quia cognatus eſt iis humoribus quos recipit; alioqui eos non diu cônſervare poſſet. Exemplo ſint venæ, quæ etiam in cadaveribus ſanguinem tuentur, nec coagulari ſinunt, cùm idem extra eas effuſus quamcumque in partem licèt calidam & ſpirantem, actutum concreſcat. Ex quo intelligitur in venis qualitatem eſſe ſanguinis conſervatricem. Eodem modo ſemen genitale ſo-

ſis in teſtibus & vaſis ſpermaticis, itemque in matrice conſervari poteſt, quemcumque alium in locum effuſum ſtatim corrumpitur; quod pręter eas partes nullus ſit locus ei familiaris.) Aliter verò locus accipi poteſt pro eo qui recipit quidem humorem quempiam, ſed ut emittat, nec eum quem excepit, retinet. Hoc modo renes & oculi ſeroſi humoris loca dici poſſunt, item habitus corporis, quòd ad eas partes feratur quidem is humor, ſed ut promptè expellatur. quod munus non magnam requirit naturæ affinitatem inter locum & humorem qui ad eum applicat, quippe cùm is locus nihil, aut parum à meatu differat. Cùm igitur oculi eo modo dicantur ab Ariſtotele locus lacrymarum, non quemadmodum domicilia quæ diu retinent, conſervant, perficiunt, ſed ut diverſoria; non eſt, quod ex eorum proprietate arguatur diverſitas lacrymarum ab aliis humoribus, ſicut ex locorum oppoſitione diverſa elementorum natura cognoſcitur. Si quis porrò quærat ubinam excrementum ſeroſum in corpore conſi-

ſtat, quando id non ſtatim atque genitum eſt, foras extruditur; dicemus eundem eſſe ejus locum, qui aliorum humorum: quia ſerum non eſt per ſe in corpore, ſed propter alios humores, quorum vehiculum exiſtimatur ex lib. περὶ τροφῆς, Proinde cùm ſemper aliis humoribus naturaliter miſtum ſit, ad quos diluendos factum eſt; meritò ipſi nullus eſt peculiaris aſſignatus locus. Aretæi verba, Vitruvii, Hippocratis, quibus lacrymæ diſtinctè inter alios humores commemorantur, ad diſtinctionem materiæ lacrymarum minimè pertinent, ſed ad alias differentias & proprietates, de quibus infrà diligenter agemus.

Paulò difficilior explicatu eſt ratio altera à motu lacrymarum petita: cur ſcilicet dolor ex omnibus humoribus ſeroſum tantùm moveat. Verùm huic pulcherrimæ contemplationi locus erit commodus, cùm de cauſis lacrymarum efficientibus agemus. Illud etiam propoſitum fuit, non poſſe eandem eſſe lacrymarum & ſudoris materiam, quòd non vnà cùm ſudore æſtuanti-

bus lacrymæ erumpant; ſed diſparitas eſt, quòd in interioribus oculorum angulis carunculæ utrinque appoſitæ ſunt, quarum obſtaculo lacrymæ continentur, ne unà cum aliis ejuſdem generis humoribus prorumpant. quod obſtaculum ſolius doloris aut gaudii impetus vincere poteſt; aut quæ in oculos incidentia moleſtiam exhibent. quarum rerum cauſæ ſuis locis reddentur. Si quis porrò quærat, cur oculi velut aliæ corporis partes, non ſudant; cauſa eſt, quia oculi puriſſimis conſtant humoribus, & partim denſiſſimis, partim ſubtiliſſimis tunicis veſtiuntur, cujuſmodi partes humores ſuperfluos nullos aut perpaucos gignunt; certè non facilè excipiunt aut tranſmittunt.

CAPVT VIII.

Natura ſeroſi humoris inveſtigatur.

POSTQVAM ſeroſum humorem materiam eſſe lacrymarum oſtendimus, conſequens eſt, ut de ejus natu-

ra paucis dicamus. Primùm nomina ejus ponemus. Ἰχῶρα hunc Græci, & metaphoricè ὀῤῥὸν & περίπλωμα ὀῤῥῶδες: Latini *ſerum* & *ſaniem* (ita enim Seneca Epiſt. 95.) & Græcâ voce *ichorem* appellant, quæ tamen dictio variè accipitur. Nam apud Homerum ſanguis Deorum ita nuncupatur : ſeu (ut Scholiaſtes exponit) ὑγρὰ θεῶν ὀσία, *humida Deorum ſubſtantia.* Verſus Poëtæ ex quinto Iliados adſcribere placet,

ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο
ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι
οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Nos eo nomine humorem aquoſum intelligimus, in venis vnà cum aliis humoribus permiſtum, qui lactis ſero proportione reſpondet, unde ὀῤῥὸς *ſerum* à Platone appellatur in Timæo, ἰχὼρ δὲ (inquit) ὁ μὲν αἵματος ὀῤῥὸς, πρᾶος· ὁ δὲ μελαίνης χολῆς ὀξείας τε ἄγριος, ὅταν ξυμμιγνύηται διὰ θερμότητα ἁλμυρᾷ δυνάμει. Quemadmodum enim lacti coagulato ſerum ſupernatat, & circumcirca dif-

fluit: ita & ſanguini aquoſus ille humor, poſtquam è venis effuſus concrevit. Nonnulli tamen in humoribus ichorem à ſero diſtingunt; & ichorem propriè aquoſam cujuſque humoris partem eſſe volunt: ſerum autem id quod ſanguinem coagulatum majore copia circumfluit, & aquæ inſtar perſpicuum eſt. Dixi ſanguinem coagulatum, quia ſanguini, dum eſt in venis fluctuans, etſi ineſt, tamen conſpici non poteſt, propter miſtionem: quam diſtinctionem his verbis tradit Mercurialis lib. 4. var. lect. cap. 12. *Sanguinem è venis extractum contemplari oportet: qui poſtquam coagulatus eſt, duas ſubſtantias tenues monſtrat. Vnam quæ magis eſt in ſumma, quamve materiam purulentam eſſe, & urinam profitemur: quoniam, ſi ſeponatur in vaſe, & urina comparetur, eſt ejuſdem coloris atque ſubſtantiæ. Alteram, quæ eſt vicinior ſanguinis ſubſtantiæ coagulatæ, quæve medii quodammodo coloris eſt inter urinam & ſanguinem. Hæc igitur ſecunda eſt ichor totius illius maſſæ ſanguinis coagulatæ: in qua prout hic vel ille humor abundat magis, ſic hujuſcemodi ichor*

hujus vel illius humoris naturam atque facultatem refert. Hæc eſt diſtinctio ichoris & ſeri à Mercuriali tradita, quæ & Platonis ſententiâ ſuprà allatâ confirmari poteſt, quâ ἰχὼρ αἵματος ὀῤῥὸς dicitur, itemque μελαίνης χολῆς ὀξείας πάχειος: Refert autem, quomodo hæc diſtinctio accipiatur; nam ſi ad ſenſum, & ad diſtinctiorem doctrinam, admitti poteſt, præſertim à Medicis quibus utilis eſt : ſi autem ita accipiatur, quaſi reipſa ichor à ſero diſtinguatur, rejicienda eſt. Plus enim aut minus miſceri ſanguini aut alii humori, non facit differentiam in ſero, quod ſemper in ſe unum eſt, ſicut aquæ natura non mutatur, etiamſi magis minuſve terræ admiſta ſit, ſed tantùm magis perſpicua aut tenuis efficitur, quod diſcrimen ipſius, ut dixi, naturam non mutat. Ita enim ſerum cùm ſanguini actu miſtum eſt aut bili, aut pituitæ, aut melancholiæ; eorum humorum ut qualitates, ita & nomina accipere fateor: ſed hoc tamen non obſtat, quominus ſuam ſibi ſemper naturam habeat, qualem habuit priuſquam iis humoribus miſcere-

ſteretur. Quod ex eo intelligi poteſt, quod cùm totum maſſæ ſanguineæ admiſtum eſſet; unumque cum ſanguine propriè dicto humorem conſtitueret, adeoque totum ſanguineum eſſet, poſtea renum facultate, aut diureticorum, aut morbo; ut diabete, aut triſtitia, aut quâ aliâ causâ ſanguinem colliquante, aut demum coagulatione, cùm idem ſanguis è vaſis excidit; ab eadem ſanguinis maſſa ac conſortio ita ſeparetur; ut ſincerum ac perſpicuum evadat, & cujus humoris fuerit, dici non poſſit.

Omiſſa igitur hac ſeri diſtinctione ac nominum varietate, quæ parum ad noſtrum inſtitutum facit, ſeri ipſius naturam, & quo pacto in nobis gignatur, conſideremus. Ab humorum autem generatione incipiendum eſt, ſine quâ, quid ſit ſerum, aut quomodo efficiatur, ſciri non poteſt. Generantur humores ex cibis quos quotidie ſumimus, qui, cùm magnam partem ſolidi ſint, non ſolùm in ore dentibus moli, ſed & potu dilui debent. Iidem ita ſubacti in ventriculum deſcendunt, vertendi in

ſubſtantiam cremori perſimilem; dehinc in inteſtina, à quibus rurſum per venas meſentericas, quaſve Aſellius ſoli chylo ſugendo dicatas invenit, & à colore lacteas vocavit, tranſportantur, ad jecur: demum per venas in corpus univerſum mittuntur. Ob hanc cauſam potu ipſos, ut dixi, primùm dilui oportet, tum ut faciliùs in ventriculo ſolvantur, tum ut ex iis humores liquidi creentur, qui niſi multum aquei humoris admiſtum haberent, neque venas anguſtiſſimas ſubire poſſent, neque corpori affigi. Hæc origo ſeri eſt. Nam cùm humor ille aqueus, quo diluuntur alimenta, magna ex parte ad nutritionem inutilis ſit, nec in ſubſtantiam corporis tranſire poſſit; remanet in venis, & partim per renes excolatus, tranſit ad veſicam foras expellendus; partim in habitum corporis diffuſus, per ſudores & inſenſilem tranſpirationem exit; partim denique in oculos doloris preſſu effertur, & lacrymarum nomen accipit.

Neque obſtat, quod Hippoc. l. περὶ ἀρχῶν, ſanguinē à calore diſſolvi, & fluxum

fieri docet, ut ex ipſius verbis patet: τὸ δὲ ὑγρὸν ψυχρὸν ἐὸν κρατηθὲν ὑπὸ τοῦ θερμοῦ διελύθη, καὶ ἐγένετο ὑγρὸν διὰ τοῦτο, & mox: τέως μὲν αἰ θερμὸν ᾖ, ὑγρόν ἐστι τὸ αἷμα· ἐπειδὰν δὲ ψυχθῇ ἐπάγη. Nihil, inquam, hæc verba obſtant. Ibi enim de cauſa efficiente agit, quæ haud dubiè calor eſt, quo aquæ partes cum ſiccis miſcentur atque continentur: qua unione totus humor licèt multùm terræ habeat, fluidus redditur. Nos de cauſa materiali & ϛοιχειώδει loquimur, qua præſente non ſolùm ſanguis, ſed & alia humida habent, ut facilè alieno termino, difficulter proprio contineantur: quæ definitio eſt humidi apud Ariſtotelem lib. 2. de ortu & interitu cap. 2. Cùm autem ab eodem Philoſopho duo elementa humida ſtatuantur, aër & aqua; utri ex his humores noſtri debeant, quod fluunt; facilè intelligi poteſt. Non enim aëri qui propter magnam raritatem citò diſſipatur, nec diu eodem in ſtatu permanet; ſed aquæ potiùs, quæ, ut Ariſtoteles ait lib. de ſenſu & ſenſ. faciliùs ſervari & comprehendi poteſt; idemque addit eam eſſe cauſam,

cur Natura ex aqua potiùs, quàm ex aëre visûs inſtrumentum conſtituerit; cùm utriuſque, quod ad perſpicuitatem attinet, par eſſet ratio: *οὐ μέντοι συμβαίνει τὸ ὁρᾷν ᾗ ὕδωρ, ἀλλ' ᾗ διαφανές· ὃ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀέρος κοινόν ἐστιν. ἀλλ' εὐφυλακτότερον καὶ εὐυποληπτότερον τὸ ὕδωρ τοῦ ἀέρος· διόπερ ἡ κόρη καὶ τὸ ὄμμα ὕδατός ἐστι.* Pręcipua autem ratio eſt, quia corpus ex humoribus alitur, ex quibus & initio coagmentatum eſt: At in corpore vivente plurimùm terræ & aquę inſit neceſſe eſt, propterea quod materia ipſi & moles, ex his elementis: quæ cauſa eſt, cur animalia ſolùm in aqua & terra exiſtant, neutiquam in aëre aut igne: *καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν ὕδατι* (inquit Ariſtoteles 4. Met.) *ζῶα μόνον ἐστιν· ἐν ἀέρι δὲ καὶ πυρὶ οὐκ ἔστιν· ὅτι τῶν σωμάτων ὕλη ταῦτα.* Quare & humores ex multa terra & aqua meritò facti ſunt, utpote qui nobis alimenti uſum exhibeant: ex quibus enim unumquodque initio creatum eſt, ex iiſdem & poſteà ali docet idem Philoſophus lib. 2. de ortu & inter. cap. 8. Porrò in humorum conſtitutione aquam aliis elementis prævalere o-

portet, ut ſint fluxiles, & per corpus univerſum facilè permeent, ut jam dictum eſt.

CAPVT IX.

An ſerum rectè dicatur alimenti vehiculum.

ATQVE is finis eſt ſeroſi humoris, qui ob eam operam, quam præſtat alimento, cùm ipſum liquefaciens, facit, ut omnes corporis partes promptè pervadat, meritus eſt, qui ab Hippocrate ſeu à Theſſalo potiùs Hippocratis filio (de auctore enim non conſtat) τροφῆς ὄχημα diceretur. Quæ ſententia etſi Medicorum omnium voce ac ſcriptis pervulgata eſt, tamen hîc paucis examinabitur à me, dubitatione adverſus ipſam prolata, ut quomodo ſerum alimenti vehiculum dicatur, apertiùs intelligatur. Vligo igitur ſeu humiditas illa (ſic enim ὑγρασίαν interpretamur) qua alimentum permeabile eſt, ipſi innata eſt, non

extrinſecus inducta, ut conſtat: ſi quidem eos humores quibus conſtamus & alimur, ſuapte natura & per ſe liquidos eſſe fatentur omnes. Si igitur ea humiditas humorum vehiculum dicatur, idem ſibi ipſi erit vehiculum, quod planè abſurdum dictu eſt. Oſtenditur antecedens auctoritate Ariſtotelis, qui lib. de Miſtorum affectionibus, qui quartus Meteorων vulgò inſcriptus eſt, aquam miſtis ineſſe docet duobus modis; aut inductam ſcilicet, aut connatam. Prioris modi exemplum dat lanam madefactam: poſterioris, lac, quod propriâ & vernacula (ut ita dicam) aquâ liquidum eſt. ξηραίνεται δὲ (inquit) ὅσα ἐστὶν καὶ ὕδατος εἴδη. ἢ ἔχει ὕδωρ, εἴτε ἐπακτὸν, ἢ συμφυές. λέγω δὲ ἐπακτὸν μὲν, οἷον ἐν ἐρίῳ· σύμφυτον δὲ οἷον ἐν γάλακτι. Addit quæ ita aquam habeant connatam, eſſe aquæ, ſpecies: nimirum vinum, urinam, ſerum, & alia ejuſmodi, quæ aut nullam, aut exiguam habent ὑπόστασιν. Nunc ſanguini ita aquam ineſſe, ut lacti aut vino, & iis quæ ὕδατος εἴδη aquæ ſpecies dicuntur, nemo, opinor, dubitat. Quare ſi aqua il-

la ſanguini συμφυὴς connata, vernacula, ipſius vehiculum dicatur; fiet illud abſurdum ſuprà memoratum, ut ſcilicet idem à ſeipſo vehatur. Præterea Galenus lib. 1. de ſimpl. facult. cap. 31. acetum in oxycrato aquæ ὄχημα appellat, atque etiam eidem πτερώματος pennarum ceu alarum ad motum vice eſſe ſtatuit: quomodo igitur aqua ſanguini pro vehiculo eſſe poteſt, cui ipſi alio, quo per membra corporis vehatur, opus eſt?

Reſponderi poteſt, aquam ſeroſum ve humorem in ſanguine non ita admiſceri terreis partibus, quemadmodum iiſdem miſcetur, in miſtorum perfectorum conſtitutione. Cujus rei argumentum eſt, quod ab his, neque aqua, neque aliud elementorum ſecerni poteſt, niſi ſumma cum difficultate, immò totiùs miſti pernicie per putrefactionem: cùm tamen è ſanguinis maſſa ſerum nullo negotio diſcedat, aut ſponte ſcilicet ſanguinem è venis profuſum relinquens, aut conſueta opera renum emulctum; ad ſummum non majore negotio à ſanguine, quàm à

limo aqua educatur. Quid igitur obſtat, quominùs ſtatuamus miſceri aquam humoribus noſtris paulò imperfectiore modo, ut facilè, quod ex ipſa redundat, ſubduci poſſit: ob eam quidem cauſam, quòd magna ejus copia opus erat, tum ut humores fluerent, tum ut caloris naturalis, qui magnus in animalibus, incendio magis reſiſterent. Quæ copia aquæ cùm multùm excedat quantitatem aliorum elementorum, fieri non poterat, ut tam iniquis portionibus coëuntia perfectæ miſtionis legem acciperent: qua lege ſancitum eſt, ut quæ ad miſtionem conveniunt, aut paribus menſuris, aut certè non multùm imparibus conveniant. Nec tamen propterea ſanguis miſtum imperfectum dicetur: quoniam fibræ, & illa ſanies ſaturi ruboris, quam propriam ſanguinis ſubſtantiam cenſemus, verâ atque exquiſitâ quatuor elementorum miſtione ortum habueruut. Quo fit ut eæ partes ſero omni detracto, remaneant aliquandiu per ſe, & propriæ miſtionis ac formæ beneficio ſat diu conſiſtant. Quo refellitur eorum, opi-

nio, qui ſanguinem venis contentum, ſimplicem autumant, eò quòd unius miſti una tantùm forma eſſe poſſit. Et de ſanguine ceu de auro aut adamante ſermocinantur, quarum rerum ſimplex fortean ſubſtantia eſt, neutiquam ſanguinis, qui ſaltem ex iis, quas dixi, rebus, cum ſero imperfectè miſtis conſtituitur. Quandoquidem igitur ſerum ſanguini non niſi imperfecto modo, ad uſus prædictos miſcetur, non eſt quod vereamur, ne non ſatis commodè ſanguinei alimenti vehiculum dicatur: cùm ſaltem earum partium reſpectu, quas ſanguinis proprias, & perfectè miſtas eſſe oſtendimus, ea appellatio ipſi apprimè congruat.

Quod autẽ & ipſa aqua aceto vectore opus habet, alia ratione uſuvenit: nimirum propter acidum ſaporem, quem, utpote acrem, & morſu infeſtum, partes corporis dulcibus aſſuetæ non ferunt. Ob hanc cauſam aqua aceto commiſta nullibi in corpore conſiſtere poteſt, ſed ſemper huc illuc jactatur, dum eam odio acidi ſaporis ſingulæ partes à ſe abigunt, excutuntque; quod

non impedit, quominus eadem aqua aliter alimenti vehiculum dicatur, dum ipſum liquefaciendo, ut per venas fluat ac permeet, facit.

Capvt X.

Quæ ſit materia ſeroſi humoris.

Ex his patet aquam eſſe materiam ut ſeri, ſic & lacrymarum quia hæc in potulentis omnibus immo & pleriſque eſculentis dominatur. Nam & vinum aqua eſt in vite putrefacta, ut olim dicebat Empedocles, σαπὲς ἐν ξύλῳ ὕδωρ, ſumpto nomine putrefactionis pro coctione, ut mos fuit veterum. Cereviſia quoque & Zythum ſeu Brutum Ægyptiorum, & reliqua vina factitia, aquarum ſpecies cenſeri debent; & quicumque liquores paruam aut nullam habent hypoſtaſim, ut expreſſè docet Ariſtoteles 4. de affectibus miſtorum: ὕδατος δ' εἴδη (inquit) τὰ τοιαῦδε, οἶνος, οὖρον, ὀῤῥὸς, καὶ ὅλως, ὅσα μηδεμίαν ἢ βραχεῖαν ἔχει ὑπόςασιν. Sed & idem

Empedocles, quatuor elementa poëticis Deorum nominibus adumbrans, Neſtin, hoc eſt aquam, lacrymarum auctorem facit his verſibus,

> Τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε.
> Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεὺς,
> Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.

Sic enim hi verſus legendi, qui minè corrupti habentur apud Suidam in voce νῆστις.

Cæterùm quia & lacrymæ & reliqua ejuſmodi excrementa ſalſa ſunt, dubitant Medici ſola ne ex aqua ſerum conficiatur, an aliud quidpiam materiæ accedat. Ratio dubitandi eſt, quia aqua ſuâpte naturâ inſipida eſt, auctore Ariſtotele lib. de ſenſu & ſenſili cap. 4. ἡ μὲν οὖν τοῦ ὕδατος φύσις βούλεται ἄχυμος εἶναι. Cui ſuffragatur Galenus lib. 1. de ſanitate tuenda, ſcribens: ἀποιότατον ὕδωρ πρὸς τὴν γεῦσιν καὶ ὄσφρησιν, *aquam omnis qualitatis expertem eſſe, quæ guſtu aut olfactu percipiatur.* Quibus & Plinius accedit lib. 15. cap. 27. *ſentiri quidem*

(inquit) *aquæ ſaporem ullum ſuccumve vitium eſt.* Et paucis interjectis; *mirùm tria naturæ præcipua elementa ſine ſapore eſſe, ſine odore, ſine ſucco: aquas, aëra, ignes.* Quibus teſtimoniis impulſus Sennertus exiſtimavit, non ſufficere aquam ad ſeri generationem, ſed ei neceſſariò accedere ſalem, qui cibo & potu continetur, & corpori alendo inutilis eſt. Imò ſerum totum eo ſale conſtare putat, *Si* (inquit) *diligenter urinæ naturam perpendamus, inveniemus, ſeroſum illud excrementum eſſe ſalem in cibo & potu ſuperfluum, & alendo corpori inutilem.* Quam opinionem ſuam variis Auctorum locis atque exemplis confirmat, quibus patet multum ſalis in lotio contineri, ut pote ex quo varia ſalium genera eliciantur, nimirum chryſocolla factitia, quam vulgus boracem appellat, ex Dioſcoride, Galeno, & Paulo Ægineta: item nitrum ex Baccio lib. 5. de Thermis cap. 7. Verùm etiam hæc à Sennerto rectè adducuntur, tamen citra horum ſalium admiſtionem, aquam ſimplicem à nobis epotam poſſe ſalſeſcere certiſſimum eſt. Galenus 3,

de alimentis: αὐτὸ γὰρ ἐπὶ πλέον ἑψόμενον ὕδωρ τὸ κάλλιστον ἁλυκὴν ἐν τῷ χρόνῳ ποιότητα προσλαμβάνει. *Ipſa aqua vel laudatiſſima multa elixatione ſalſam tempore qualitatem contrahit.* Quæ ſententia difficillima eſſet, niſi nobis perſpectum eſſet, nullum apud nos elementum eſſe purum. Quare neque aqua illa quam potamus, ſincera eſt, etſi aſpectui limpidiſſima ſit; ſed multis terreis atomis permiſta: quod vel ex eo cognoſci poteſt, quòd piſces nonnullos & ſtirpes ex ea ſola ali videmus, cùm nullum miſtum ex ſimplici elemento alatur. Simplex tamen & pura vulgò appellatur, non quòd revera ſit talis, ſed quia adſpectui videtur. Ejuſmodi igitur aqua, cùm impenſiori calore excoquitur, ſalſitudinem adipiſcitur: partes enim leviſſimæ dulciſſimæque facilè abeunt, relinquuntur graves & ſalſæ, quomodo & mare ſalſum effici Hippocrates lib. de aëre, aquis, locis; & Ariſtoteles lib. 2. Meteor. c. 2. aſſerunt. Et hoc fortaſſe voluit Empedocles, cùm dixit, ἐν αὐτῷ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὰ γένη τῶν χυμῶν ἀναίσθητα διὰ σμικρότητα, *aquam in ſci-*

pſa habere genera ſaporum occulta propter parvitatem, ut refert Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſili cap. 4. Hoc igitur modo aqua vel lympidiſſima igne ſalſa efficitur, ratione partium terrearum, quæ ipſi ſubtiliſſima admodum mole permiſcentur: quibus omnibus ineſt, ut aduſtione ſalſeſcant. Ex quibus liquet, Sennertum decipi, cùm omnem ſeri ſalſuginem ciborum & potuum ſali adſcribendum putat.

CAPUT XI.

Sententia quædam Theophraſti de ſeri ſalſo ſapore expenditur.

CÆTERUM eſt alia difficultas ad hanc lacrymarum ſalſuginem pertinens, quæ antequam hinc diſcedo, enucleanda eſt. Scribit Theophraſtus l. περὶ ἱδρώτων ſudorem omnem eſſe ſalſum, ſalſiſſimum verò qui longiùs in corporis habitum penetraverit: ἱδρὼς πᾶς ἁλμυρὸς, εἰ δὲ ποῤῥωτέρωθεν ἁλυκώτατος. Id autem difficultatem habet.

Nam contrà ſerum in progreſſu minus ac minus ſalſum fieri deberet, ſicut maris aqua, quanto longiùs ab origine exſpatiata eſt, tanto dulcior eſt: propterea quod in illis anguſtiis quas ſubit, quod ipſi ſalſum inerat, ſubinde exuit, quo fit ut poſtquam denuo emerſit, & fluvios efficit, nihil ſapiat parentis oceani, nec unde iſti profecti ſint, cognoſci poſſit. Quid igitur cauſæ eſt, quamobrem mare progrediendo ſalſuginem amittat, ſerum intendat? Per poros enim anguſtiſſimos ſubeundo in habitum corporis, & cutem extimam, ſi quid ipſi ſalſi ineſſet, elutriatum oportuit.

Sed nimirum longè diverſa eſt ratio aquarum in univerſo, & ſeroſi humoris in animalibus. Quippe immenſa illa aquarum vis initio ſalſa efficitur, miſturâ aduſtarum exhalationum, quæ à terra ſublatæ, in mare cum pluviis recidunt, ejuſque non ſolùm ſaporem mutant, ſed etiam tenuitatem: ita enim eâ miſturâ incraſſantur, ut illæ aquæ multo graviora onera, quam fluviales ferant; ſicut experientia edocti omnes

fatentur. Poſtquam igitur eædem in exiles terræ venas ac meatus, penetraverunt, non eſt mirum ſi ſalſugine privantur; ſiquidem eam, utpote terream & craſſam, prædicti meatus arctiores non tranſmittunt, ſed ſolùm quod tenue eſt & dulce. Aliter in ſero uſuvenit, quod in ſua origine dulce eſt, nec ſalſum acquirit ſaporem, niſi aut humorum atq; alimentorum conſortio, quibus omnibus non parum ineſt ſalis: aut vi caloris nativi ipſum excoquentis, eo modo quo ſuprà explicatum eſt. Meritò igitur id, quo longius in corpus precedit, eo ſalſius efficitur, dum tractu illo variis admiſcetur humoribus fuliginoſiſque excrementis, quorum ſalem alendo inutilem ſuſcipit, ſed & calidiſſimas corporis noſtri partes pervadit, in quibus diu commorans, ebullienſque coquitur, atque ut ita dicam, examurcatur. Sic aqua, per cineres colata contagio ipſarum amarum contrahit saporem, & cinis lixivus evadit. Rem autem ita ſe habere argumento eſt, quod ſerum illo ingreſſu in partes corporis ac tractu craſſius efficitur, & de ve-

venarum excrementis ſumit hypoſtaſim.

Ex quibus intelligi poteſt, minùs aptè Lucretium & ejus exemplo Samonicum urinam ſaccatum corporis humorem dixiſſe. Non enim is humor, ut putant, per renes, aut veſicam ſaccatur, niſi interdum præter naturam magno mortalium malo, qui inde in iis partibus calculum, teterrimam vitæ peſtem concipiunt. Quamquam eruditos illos vates tueri poſſumus, ſi dicamus eos non ad illa ſalſa reſpexiſſe, quæ cum ſero naturaliter vacuantur, ſed potiùs ad ſanguinem, è cujus maſsâ, aquoſum illud & tenuius excrementum vi renum ceu colo educitur. Satius enim eſt probatos auctores, quà datur, amicè interpretari, quàm acerbè (qui pleriſque eſt mos) carpere atque inſectari. Poſtremò Aprorum lacrymæ objici poſſunt, quas eſſe dulces Plutarchus in quæſtionibus naturalibus teſtatur: quod ipſe calori valido illius animalis & majori humorum coctioni adſcribit. Ego verò potiùs Manelpho aſſentior, qui eas lacrymas ſalis omnis

expertes eſſe negat, ſed cùm ſint ſalſæ ſimpliciter, ut aliorum animalium, tamen dulces comparativè aſſeri, quod minùs ſalſæ ſint. Atque hęc de ſeri & lacrymarum materia & ſalſo ſapore ſufficiant. Proximum eſt, ut de ipſius loco dicamus, & quamobrem tanta ejus vis in capite exiſtat, palam faciamus.

Capvt XII.

Quomodo materia lacrymarum in capite colligatur.

Svpra oſtendimus ſerum per ſe non habere locum in corpore determinatum, ſed per accidens, nempe ratione humorum quibus admiſtum eſt. Quare cùm humores in venis conſiſtant, in iis quoque ſerum locari conſentaneum eſt. Nihilominus tamen magnam ejus partem ſibi cerebrum multis de cauſis vindicat. Primùm propter temperiem ejus frigidam quæ ſimile alimentum poſtulat: ſimilia enim ſimilibus gaudent atque conſervantur.

Id alimentum ſanguis eſt pituitoſus & viſcidus, qui multo ſero neceſſariò diluitur; ut faciliùs per venulas tenuiſſimas in cerebri ſubſtantiam tranſire poſſit. Eódem ſpectat ſitus: in totius quippe corporis faſtigio poſitum vapores omnes rectà in ſublime tendentes ad perpendiculum excipit, tum ſpiſſa & frigida ſubſtantia ſua comprimens, in humorem ſeroſum convertit. Eſt etiam rotundum penè ad inſtar medicæ cucurbitulæ, quæ figura ad trahendos & concipiendos humores aptiſſima eſt, ſicut notat Hippocrates in Epiſtola ad Demetrium, ita ſcribens: Ἐπικειμένην γὰρ αὐτὴν (κεφαλὴν) τῷ σώματι ὥσπερ σικύαν τῶν εἰσφερομένων ἁπάντων συμβαίνει αὐτὴν ἕλκειν περιττώματα καὶ λεπτομερεῖς χυμούς. propter quod idem cerebrum ῥίζα τῶν ἀνθρωπίνων νοσημάτων ibidem dicitur. Hæ ſunt cauſæ, propter quas cerebrum plurimum ſeri continet, ſed præcipua harum eſt frigida ejus temperies; ad quam aliæ revocantur. Quid autem ſpectans Natura talem temperiem cerebro nobiliſſimæ parti impoſuerit, etſi prætermitti poteſt, tamen cùm id

ſcitu per ſe jucundum ſit & ad clariorem præſentis doctrinæ intelligentiam pertineat prætermittendum non cenſui.

Opinatur Ariſtoteles cerebrum frigidum ob eam cauſam fieri debuiſſe, ut eſſet quod cordis æſtui opponeretur. quod Natura paſſim res rebus committat, & ſibi paria ceu ad ſpectaculum componat: ἐπεὶ δ' ἅπαντα δεῖται τῆς ἐναντίας ῥοπῆς ἵνα τυγχάνῃ τοῦ μετρίου καὶ μέσου· διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, πρὸς τὸν τῆς κεφαλῆς τόπον καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θερμότητα μεμηχάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις, inquit 2. de part. anim. Et ejuſdem libri cap. 7. ἀεὶ γὰρ ἡ φύσις μηχανᾶται πρὸς ἑκάστου ὑπερβολὴν βοήθειαν τὴν τοῦ ἐναντίου παρεδρίαν, ἵνα ἀνισάζῃ τὴν θατέρου ὑπερβολὴν θάτερον, & rurſus ibidem de eodem loquens, πρὸς οὖν πολλὴν θερμότητα οἷον ἀντίκειται ὑγρότης καὶ ψυχρότης. Quæ loca ita accipit Galenus, quaſi cor ipſum à cerebro refrigerari velit Ariſtoteles, ut patet legenti lib. 8. de uſu part. ubi abſurditatis damnat Ariſtotelem hiſce verbis: τὸ γὰρ οἴεσθαι τὸν περὶ τὴν καρδίαν θερμασίας ἕνεκα γεγονέναι τὸν ἐγκέφα-

λον, ἀναψύχοντα τε αὐτὴν καὶ εἰς μετριότητα κράσεως ἄγοντα παντοίως ἄτοπον, i. *opinari autem gratia caliditatis quæ eſt circa cor, cerebrum eſſe factum: ut ſcilicet id refrigeret, & ad moderatam temperiem revocet, omnino eſt abſurdum.* Et cùm paulò infrà contendit adverſùs Ariſtotelem citiùs à calcaneis refrigerari poſſe cor quàm à cerebro. Verùm Hofmannus lib. de uſu cerebri Galenum caſtigat ut parum perſpicacem, qui Ariſtoteles quid vellet, non viderit: non enim cor, ſed cordis calorem, hoc eſt, ſanguinem ferventem à corde per venas deductum, à cerebro refrigerari, in ſententia Ariſtotelis, quemadmodum & Averrois exponit in primo colligeti ita ſcribens: cerebrum utile eſt ſenſibus, quia in qualibet menſura caloris non completur operatio ſenſuum, nec ſenſus indigent forti calore, quia calor vehemens perturbat ſenſus, ut patet in phreneticis, & propter hæc omnia, quia cor eſt in fine caloris fuit ordinatum contra ipſum cerebrum ex oppoſito ad temperandum calorem ejus, ut poſſit ſenſus appre-

hendere perfectè, nec poterat in ſe cor ferre talem temperiem, quia nutritionis operationes minuerentur. hæc illi pro ſummo Philoſopho diſputant, de quibus, paucis quid ſentiam, dicam. Nunc enim eam controverſiam non moveo. Equidem eos amo, qui Ariſtotelem amant, quia hunc Philoſophum ut omnium cordatiſſimum plurimi ſemper feci: cæterùm committendum non eſt, ut dum eum tueri volumus, ea ipſi affingamus, quæ ab ejus placitis alieniſſima ſint: hoc enim non tueri eſt Ariſtotelem, ſed occultè condemnare, ad meliorem ſententiam, quam quæ ipſi placuit, ipſum transferendo. Quod autem non eam mentem habuerit Ariſtoteles, quam ipſi imponit Hofmannus, vel hæc verba indicant, quæ citato lib. & capite habet de cerebri & cordis ſympathia: ὑγραινόμενος γὰρ ἢ ξηραινόμενος (ἐγκέφαλος) οὐ ποιήσει τὸ αὐτοῦ ἔργον, ἀλλ᾽ ἢ οὐ ψύξει, ἢ πήξει· ὥστε νόσοις καὶ παρανοίας ποιεῖ καὶ θανάτους· τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ θερμὸν, καὶ ἡ ἀρχὴ, συμπαθέστατόν ἐστι, καὶ ταχεῖαν ποιεῖται τὴν αἴσθησιν, μεταβαλλειν-

τοῦ πηγ̀ πάχοντος τοῦ περὶ τὸν ἐγκέφαλον αἵματος, *Nam ſi cerebrum vel humet, vel ſiccet ſupra modum, ſuo fungi officio non poteſt, ſed aut non refrigerabit, aut coagulabit. Itaque morbos deliria mortes afferet. Calor enim cordis atque principium conſentientiſſimum eſt, ſenſumque celerrimè facit, cùm ſanguis cerebri, ullo pacto mutatur atque afficitur.* Quorum verborum is ſenſus eſt, cerebro præter modum calefacto atque exſiccato deliria excitari,quòd calidum quod in corde eſt, non refrigeretur, propterea quod cordis caliditas ſanguinis,qui cerebrum alluit, mutationes celeriter perſentit. Ex quo efficitur in ſententia Ariſtotelis non calorem qui à corde per venas cerebro impertitur, ſed ipſum cordis calorem à cerebro refrigerari cùm bene valet; aut non refrigerari cùm præter naturam incaluit, quo tempore deliria & phrenitides gignantur.

Miſſo igitur Ariſtotele, dico cerebrum ob eam cauſam frigidum humidumque fieri debuiſſe, quia domicilium eſt mentis & principium proximum ſenſuum, qui idcirco omnes in

capite diſpoſiti ſunt, ceu ſatellites quidam circa Regem καθάπερ τινὲς ὑπηρέται, καὶ δορυφόροι μεγάλου βασιλέως, inquit Galenus 7. de uſu part. mentis enim & rationis vis eſt diſcere, contemplari, meminiſſe, rerum omnium naturas inveſtigare, quid ſit verum, quid falſum dijudicare: quæ operationes cùm ſint divinæ, niſi ſedatis atque compreſſis corporis motibus commodè perfici non poſſunt. Nihil autem corpus magis perturbat calore ingenti, qui nunquam quieſcit, ſed aſſiduè materiam in qua eſt agitat, movet, huc illuc impellit, quod cordis motus irrequietus, humorum coctiones, diſtributiones, expulſiones, evaporationes clarè indicant. Quos tumultus menti inimiciſſimos ſic metuit Natura, ut non ſolùm ſedem ei frigidam & humidam dederit, ſed etiam inter ipſam & cordis fornacem cùm oſſa capitis, tum cervicem ceu iſthmum, ut Plato appellat, interpoſuerit. Ob hanc igitur cauſam cerebrum frigidam & humidam temperiem accepit, ut quietem animi functionibus optatam præberet, quòd ex nulla re magis

conſtent quàm tranquillitate: τὸ γὰρ ἠρεμῆσαι (inquit Ariſtoteles 7. Phyſic.) καὶ στῆναι τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι καὶ φρονεῖν λεγόμεθα, ſcire & ſapere dicimus, cùm cogitatio ſtetit atque conquievit.

Expoſui cauſas, propter quas cerebrum in ſeipſo magnam vim ſeri colligit; ſed una reſtat circa hanc doctrinam difficultas, quam jam explanare aggredior. Ariſtoteles citato libro de partibus animalium ſanguinem in capite tenuem & ſincerum eſſe aſſerit: πρὸς δὲ τὴν θερμότητα μὴ βλάπτειν, ἀντὶ μὲν μεγάλων ὀλίγων πυκναὶ καὶ λεπταὶ φλέβες περιέχουσιν αὐτὸν (ἐγκέφαλον) ἀντὶ δὲ πολλοῦ καὶ παχέος αἵματος, λεπτὸν καὶ καθαρόν. διὸ καὶ τὰ ῥεύματα τοῖς σώμασιν ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, ὅσοις ἂν ᾖ τὰ περὶ τὸν ἐγκέφαλον ψυχρότερα τῆς ἐμμέτρου κράσεως. quæ ſi ſententia vera eſt, quomodo eum ſanguinem ſeroſum dicere audemus? non enim ſimul purus dici poteſt, & copioſo ſero dilutus. Poſtquam præſertim idem Ariſtoteles problemate 2. decimæ ſectionis ſanguinem νοσερὸν, i. morboſum appellavit, qui cerebri excrementis, ex quibus eſt ſerum, miſtus

eſt : λεπτότερον γὰρ (inquit) γίνεται τοῦ αἵματος τοῦ καθαροῦ τὸ νοσερὸν, τοῦτο δέ ἐστι τὸ μιχθὲν τοῖς τοῦ ἐγκεφάλου περιττώμασι, καὶ ἐστι καθάπερ ἰχώρ.

Dicendum eſt ſanguinem καθαρὸν, hoc eſt purum appellari ab Ariſtotele iis locis, non qui nulli ſero eſt permiſtus, ſed qui craſſioribus excrementis vacat, quæ ipſum turbidum reddunt, ut ſatis prior ſententia indicat, qua ſanguis purus craſſo opponitur: ἀντὶ δὲ πολλοῦ καὶ παχέος αἵματος, λεπτὸν καὶ καθαρόν. Neque enim ſerum obſtat puritati, aut bonitati ſanguinis, modò non nimiùm abundet, ſicut vinum non inquinat craſis. Quin ſanguis peſſimus fieret, ſi aut nullum, aut parcius quàm par eſt, ſerum haberet. Ad eum modum, nec eum ſanguinem morboſum dicit, qui ſero mixtus eſt, ſed qui tantùm ſeri habet, ut ichor potiùs quàm ſanguis videatur : τὸ αἷμα λίαν ἐξυγρασμένον ſanguinem multo ſero inundatum vocat lib. 3. de hiſt. anim. cap. 19. Ab eo enim ſanguine multa incommoda, eodem, teſte proficiſcuntur, ſudores ſan-

guinei, & crebra per nares & ſedem ſanguinis profluvia (αἱμοῤῥοΐδας ipſe appellat.) Item ῥεύματα ex eodem lib. 2. de part. anim. poſtremò phlyctænæ in variis partibus, ὑδατίδες atque hydropes: de quibus paſſim in libris Medicorum. Refert igitur, quantùm ſeri ſanguini miſceatur, quoniam ſi nimium illud eſt, ſanguinem facit morboſum; ſi mediocre, bonum & laudabilem, ſi largius paulò, tenuiorem quidem, ſed nihilominus bonum & purum, ut qui ad caput perfertur. Hæc mens Ariſtotelis.

CAPVT XIII.

Viæ aperiuntur per quas lacrymæ effluunt.

NVNC viæ per quas ſerum è cerebro in oculos deſtillat atque extrà effunditur, demonſtrandæ ſunt. Oculi quidem, ut ſuprà monuimus, propter vicinitatem, cerebri excrementa ſuſcipiunt, & quia cerebrum

his nobilius. Semper enim partes ignobiliores ſuperioribus inſerviunt, & ipſarum onera excipiunt, ceu quodam jure ſervitutis; quemadmodum Iuriſconſulti ſervitutes urbanorum prædiorum loquelariter appellant, cùm vicinus onera vicini ſuſtinet, aut ſtillicidium, vel flumen recipit in ædes ſuas, vel in aream, vel in cloacam. Quam ſervitutem cerebro oculi debent, & complures aliæ capitis partes, nares, palatum, aures, & calvæ commiſſuræ, ex Galeno lib. 1. de ſanitate tuenda: propter enim ejus præſtantiam pluribus modis expurgandum fuit. Verba ejus à me Latinè expreſſa hæc ſunt: *Nam cerebrum domicilium quoddam eſt animæ rationalis, quod cùm ſit operculo oſſeo circumtectum, per maximos & complures meatus purgatur. Primò quidem per palatum & nares, ſecundò per utramque aurem, tertiò per calvariæ commiſſuras ſuturis ſimiles.* mox in hoc albo & oculos ponit, his verbis: *non abſurdum exiſtimare & aliquid in oculos confluere è cerebri excrementis.* Ipſos deinde oculos, quia puros eſſe oportet, ut acutè videant, ad nares &

palpebras meatus conſpicuos habere, ibidem teſtatur. Ex quibus Galeni locis patet, duas eſſe cauſas, ob quas Natura alicui parti plures ad vacuanda excrementa meatus largiatur: ſcilicet præſtantiam ipſius partis, & conditionem functionis, quæ purum valde inſtrumentum requirat, qualis ante alias eſt viſio. De his oculorum meatibus agimus, quorum alii in magnis oculorum angulis utrinque ſiti ſunt, in nares pervii ita, ut collyria oculis indita nonnulli expuant quidem & emungant. Per hos ſeroſa excrementa à cerebro in oculos, ab iiſque in nares deſcendunt, qua de cauſa qui plorant, ſimul emungere ſolent. Verũ ne continuò in oculos manent, duo opercula carnoſa in foraminibus utrinque impoſita ſunt, quæ Galenus σαρκώδη σώματα & ἀδενώδη σαρκία appellat lib. 10. de uſu partium. His autem lacrymas includi, ex eo patet, quod quibus ea medicamentis acribus aut ferro etiam adempta ſunt (quod interdum accidere dum πτερύγια & magna τραχώματα, συκώ-

σεις aut τύλλοι in iis naſcentes inconſultè tractantur, aut ἐγκανθίδες temerè inciduntur, teſtatur Galenus) iis perpetuæ lacrymæ in genas volvuntur: quod vitium ῥυάδα appellari initio hujus libri animadvertimus. Sunt & alii meatus, vel potiùs foramina admodum exigua in palpebris, quorum & Galenus ibidem facit mentionem his verbis: *Præpter hac etiam ſubtilia valde foramina, quæ ſunt ſecundùm has palpebras paulò exteriora magno cantho. Penetrantia enim uſque in naſum humiditatem ſubtilem viciſſim, & dant & accipiunt.* Riolanus *puncta lacrymalia* appellat, exemplo, ut ipſe dicit, Fallopii, qui tamen non puncta, ſed ſolùm lacrymalia appellat à lacrymis fundendis. Ita enim de iis loquitur: *meatus iſti lacrymalia vocantur à recentioribus chirurgis, atque ſemper à me eodem nomine appellabuntur.*

Mirum eſt quod de iis foraminibus tradunt Anatomici, in iis reperiri omnis generis villos ad retentionem, aut expulſionem lacrymarum, qui ſi violentur (ut fit interdum in earum par-

tium exituris) lacrymæ invitæ, ut de carunculæ angulorum exciſione diximus, aſſiduè Profluant. Non minùs admirabilis eorum obſervatio, qui lacrymas ex dolore, ira, & aliis ejuſmodi animi motibus per inferiorem palpebræ meatum emitti aſſerunt, quod is cordis affectibus reſpondeat. Quæ autem alia profluant ratione, quoniam è cerebro derivantur, per ſuperiorem cerebro proprium, exitum habere. Quod poſteriùs falſum arbitror: non enim aliæ lacrymæ à corde, aliæ à cerebro, ſed omnes ad cerebrum cum ſanguine per venas delatæ, poſtea motu doloris aut gaudii liquantur, & per prædictos oculorum meatus exprimuntur. De qua expreſſione lacrymarum & cauſis moventibus proximè agendum.

PETRI PETITI

MEDICI PARISIENSIS

De lacrymarum cauſis efficientibus, & fine.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

CAVSAS lacrymarum efficientes appello, non quæ ſerum generant, ſed quæ ipſum movent, perque oculos expellunt. Hoc enim præcipuè motu atque expulſione lacrymæ cenſentur; ante illam materia tantùm lacrymarum intelligitur, nempe ſerum venis & capite contentum, ut ſuprà oſtendimus. Ejuſmodi cauſæ duæ ſunt, dolor & voluptas, qui affectus πρωτουργὰ πάθη primarii aliorumque cauſæ appellantur à Platone

ne in Philebo & libris legum; ſicut Proclus obſervat in eruditiſſimis illis commentariis, quos in ejuſdem Timæũ conſcripſit; ubi & hos ipſos affectus fontes eſſe reliquorum, ac velut elementa ex quorum miſtione conflentur, eodem auctore aſſerit. Non ſolùm autem Plato id dixit, ſed & alii pleriq; ut puto, hunc ſecuti, ut Cyrenaici. Qui mihi videturhac mente duos tantùm affectus poſuiſſe, gaudium & dolorem; non quòd alias affectuum ſpecies negarent, ſed quòd omnes ex iis duobus conſtitui arbitrarentur. Similis Alberti ſententia eſt, cùm lib 1. de motibus animalium tract. 2. cap. 4. genera omnium affectuum ſtatuit triſtitiam & delectationem, quòd (inquit) timor quædam præconcepta triſtitia ſit (ita enim appellat, quam uno verbo Tullius *præmoleſtiam*) ſpes autem quoddam præconceptum gaudium & delectatio. Alumnus autem ejus D. Thomas hos affectus primos intentione aſſerit, quòd reliqui ad eos ceu ad finem & complementum ſpectent, ad eos cùm pervenerunt; deſinant. Id & motu cordis

phyſicè oſtendi poteſt, quod omnium affectuum eſſe ſedem, ab iiſque impelli omnes fatentur. At cor duobus, universè motibus cietur, contractione & dilatatione: quorum prior ad triſtitiam pertinet, poſterior ad delectationem. Erunt igitur duo tantùm univerſim affectus triſtitia & gaudium. Præterea ex finibus actionum humanarum perſpici id poteſt: omnes enim felicitatem expetunt, quæ in gaudio conſiſtit; nihil enim aliud felicitas quàm perfectum gaudium. Igitur & omnes animi affectus ad gaudium referantur neceſſe eſt. idque patet conſideranti: bonum expetimus, ſperamus, ut eo gaudeamus: malum fugimus, timemus, ne eo triſtemur; eſt autem malum nihil aliud quàm privatio boni: quare triſtamur propter bonum quo caremus. Gaudemus interim cupientes, ſperantes ex præcepta atq; anticipata imaginatione boni; triſtamur fugientes, timentes ex præcognitione mali. Ex quo patet triſtitiam & delectationem fines eſſe omnium paſſionum, & in eas omnes influere per ſpecies

boni vel mali animo impreſſas.

De triſtitia igitur & delectatione quæ ut principes affectus corpus vehementiùs movent, & lacrymas excutiunt, pro inſtituto agemus, & primùm de triſtitia, quia hæc notior & frequentior cauſa lacrymarum.

CAPVT II.

De triſtitia, & quomodo contrahat corpus.

TRISTITIÆ potiùs nomine utimur quàm doloris, quia de animi affectu agimus, cujus propriè eſt lacrymas ciere. Nam etſi cruciatûs corporis qui dolores propriè dicuntur, lacrymas quoque excutiunt, tamen minùs quàm animi ægritudines : unde multi an beſtiæ fleant, dubitant, an dolore afficiantur, dubitat nemo. Hanc inter iſta differentiam poſuit Marcus Tullius, qui in libris Tuſculanarum ſeorſim agit de dolore tolerando, & de animi ægritudine lenienda, doloris

nomine intelligens corporis cruciatum qui ſenſu percipitur : animi autem ægritudine eum motum interiorem,qui ex rebus animo perceptis,nihilque ad corpus pertinentibus naſcitur. Variè etiam utrumque definit; animi quidem ægritudinem , opinionem recentem magni mali & præſentis, ut is qui doleat, oportere opinetur ſe dolere. Dolorem verò dicit eſſe motum aſperum in corpore à ſenſibus alienum; quo patet dolorem ab eo cenſeri, qui ſit corporis proprius. Triſtitiam igitur intelligimus, quam ille animi ægritudinem, quod ita hanc vocem pariter eruditum vulgus & rude accipiat. exempli gratiâ, dolorem dentium omnes dicimus, triſtitiam nemo.

Definiri poteſt triſtitia depreſſio animi ex perceptione mali, vel contractio ſpirituum à re non convenienti ad ſua principia, ob rei moleſtæ & à natura abhorrentis perceptionem: quæ poſterior definitio magis ad noſtrum inſtitutum facit, qui triſtitiam ſpectamus non quomodo dialectici & morales Philoſophi in ſua(ut vocant)ratio-

ne formali; ſed phyſicè, & prout corpus immutat, vel potiùs immutationem quam corpori affert. Omnium enim affectuum commune eſt ut corpus inſigniter alterent ac moveant, propterea quòd appetitus, cujus ſunt operationes, potentia eſt corpori immerſa, & ab ipſius temperamento dependens ſicut ſenſus. Vnde ipſius motibus humores ac ſpiritus corporis congruere ac reſpondere neceſſe eſt; ac modò inflammari, atque efferri, modò languere & deprimi, quaſique repentino veterno obtorpeſcere. *Omnis* (inquit Cicero) *motus animi ſuum quemque à natura habet vultum & ſonum & geſtum, totumque corpus hominis, & omnis ejus vultus ita ſonant ut à motu animi quoque ſunt pulſæ.* Ratio eſt, quia ut ait Ariſt. 1. De anima, appetitus unà cum corpore ut ſuo inſtrumento movetur: ἔοικε δὲ (inquit) καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἶναι μετὰ σώματος, θυμὸς, πραότης, φόβος, ἔλεος, θάρσος· ἔτι χαρὰ καὶ τὸ φιλεῖν τε καὶ μισεῖν· ἅμα γὰρ τούτοις πάσχει τι τὸ σῶμα. Idemque in lib. de motu animalium docet ab imaginatione boni & mali

calorem & refrigerationem fieri in corpore, ἀρχὴ μὲν οὖν τῆς κινήσεως, τὸ ἐν τῷ πρακτῷ διωκτὸν ἢ φευκτόν. ἐξ ἀνάγκης δὲ ἀκολουθεῖ τῇ νοήσει καὶ τῇ φαντασίᾳ αὐτῶν θερμότης καὶ ψύξις. Cauſam ibidem hanc tradit, quod rerum ſpecies animo informatæ eandem vim habeant ac res ipſæ ſi adeſſent: ἡ δὲ φαντασία καὶ ἡ νόησις τὴν τῶν πραγμάτων ἔχουσι δύναμιν. ſic nonnullos coram hoſte, timore repente mortuos legimus, ac ſi vulnus accepiſſent, De quo eſt illud poëtæ,

Valuit pro vulnere terror.

Ex quo intelligitur ſpecies rerum non ita eſſe in intellectu aut imaginatione, ut figuræ & colores in tabella, ſed multo expreſſiùs, præſertim cùm earum cognitioni opinio boni vel mali acceſſit: tunc enim ex judicio ita excitantur &, atque ut ſic dicam, animantur, ut nihilo deteriùs in noſtrum corpus agant, ac res ipſæ ſi adeſſent. Sive hæc eſt vis opinionis atque exiſtimationis, quæ ſuprema animalium facultas, ſive Deo viſum, per eam facultatem moveri animalium corpora, propterea quod hac parte æmulantur animæ intelligentias

corporum cæleſtium motrices. De quare conjecturam capere licet ex miris fiduciæ in Deo operibus; cùm ipſe Chriſtus dicat, eum qui certò & indubitanter credat facturum Deum quæ petierit, montes transferre atque alia ſupra naturam patrare poſſe, quod perſuaſioni illi ac fiduciæ Deus neceſſariò accedat, ac ſi qui credit, Deus quodammodo, efficeretur. Ita dico ejus, qui certò exiſtimet rem aliquam ſibi eſſe bonam aut malam, animum rem illam propemodum effici, adeò ut in ſuum corpus eadem moliatur ac res ipſa faceret.

Hæc eſt igitur vis affectuum in corpus ut ipſum haud ſecus ac res ipſæ alterent; unde ab Ariſtotele alterationes dicuntur: ταῦτα δὲ πάντα πάθη καὶ ἀλλοιώσεις εἰσίν, inquit citato loco; additque iis alterationibus quædam majora, minora alia effici dum ſcilicet alia extenduntur, alia contrahuntur. ἀλλοιουμένων δὲ ἐν τῷ σώματι τὰ μὲν μείζω τὰ δὲ ἐλάττω γίνεται. Ex primis autem motibus eſt ſpirituum dilatatio & contractio ad ſpeciem moleſti aut jucun-

di, imò unus ex principaliſſimis, quemadmodum his verbis teſtatur Galenus lib. 5. de ſymptom. cauſis, ita ſcribens, *Ex primis itaque* (ut ita dicam) *principaliſsimis motibus quidam cenſetur, quo calor nativus tum intro, tum foras defertur, idque in compluribus animi pathematis. ac una cum ipſo & ſanguis & ſpiritus, modò ad interna, nempe ad principium fertur retrahiturque, modò tendit ad externa atque diffunditur.* Quam ſententiam eò adduxi, quia præclarè explicat anguſtiam & contractionem, cujus triſtitia auctor eſt, & qua lacrymas exprimi mox oſtendemus. Nam cùm ſpiritus ſit præcipuum animæ inſtrumentum quo membris vigorem influit, facilè intelligitur magnam debere hunc inter & partes corporis conjunctionem intercedere. Quarum autem partium naturalis eſt conſenſio, earum ſi una moveatur, altera ſequitur, ut Magnetis exemplo patet, qui ob συμπάθειαν ferrum ſecum trahit. Igitur & corporis partes unà cum ſpiritu vitali dilatari & contrahi exiſtimandum eſt. Humores quidem motum ſequi ſpirituum, una-

que intrò aut foras moveri Galenus citato loco aſſerit; & certis exemplis probari poteſt, videlicet criſium & inflammationum, quæ ob eam cauſam fiunt, quòd natura dum ad certas partes ſpiritus ſuppetias mittit ad earum virtutem augendam; eodem humores trahantur, cujus motus humorum non alia ratio afferri poteſt, quàm quòd humores ſpiritus naturaliter ſequantur. Id ſi datum humoribus, cur non & veris corporis partibus quæ ex iis ipſis humoribus & initio conſtitutæ ſunt & ſemper nutriũtur. Sed & contractio ſurarum in cholera idipſum teſtatur (συνολκὴν γαστροκνημιῶν vocat Hippocrates) quam fieri Galenus exiſtimat, quod ſpiritum ſive virtutem (parum enim intereſt) intro confugientem muſculi illi crurum ſequantur: verba ejus ex 2. Prognoſt. adſcribere libet: ἀχλαζούσης δὲ δυνάμεως καὶ ἐπὶ τὴν ἑαυτῆς ἀρχὴν, συναγομένης ἀναγκαῖόν ἐστιν ἕπεσθαι καὶ τὰ μόρια τῇ δυνάμει, καὶ συνέρχεσθαί τε καὶ συνάπτεσθαι ταρα; τὰ μέσα τοῦ σώματος cui ſententiæ congruit illud Alexandri Aphrodiſæi lib. 2. probl. ὅπου γὰρ νεῦμα δυνάμεως ἐκεῖ ὀργάνων καὶ χυμοῦ νεύει ῥοπή.

Sed rurſus aliquis percontabitur, quamobrem ſpiritus ſeſe in gaudio dilatent, in triſtitia contrahant. Cui reſpondebimus : primùm quidem nos poſſe ab ejuſmodi quæſtione abſtinere, utpote quæ non ſit hujus inſtituti: Deinde hanc adeo eſſe difficilem ad explicandum, ut qui ab ea abſtineat, magis ob prudentiam laudari, quàm ob inſcitiam culpari debeat. Non enim omnium rerum cauſas reddere poſſumus, & ut Scaliger ait in exercit. *Pars humanæ ſapientiæ eſt quædam æquo animo neſcire velle.* Quippe moderatis ingeniis ſufficere debet hanc eſſe naturam ſpirituum noſtrorum, ut oblata rei jucundæ ſpecie latè, quantùm poſſunt, ſe ſe explicent ; moleſtæ autem odio retrahant atque intus colligant; quod experientia ſatis ſuperque notum eſt. Attamen ſi, quid de hac re ſentiam, effari cogar : dicam ſpiritus propiora animæ inſtrumenta objecta boni ſpecie effundi in amplexum, quo ipſi uniantur, in qua re fruitio conſiſtit. Sicuti enim famelicus ad cibum, avarus ad pecuniam manum avidè extendit, ſi-

cuti amans, adverſus eam quam diligit, cupidè brachia ad amplectendum exporrigit: ita ſpiritus qui animæ ceu brachia, & manus, vel certè accenſi ſunt, & adminiſtri ſponte extenduntur, ut id, quod anima bonum judicat, arripiant, atque comprehendant. Qui ultrà ſcire optat, quærat, cur omnis natura ad bonum ſe applicet; cur malum declinet, ab eoque quàm poteſt longiſſimè, refugiat. Sunt nimirum ejuſmodi affectiones rerum communiſſimæ, quæ ut cauſam ante ſe non habent, qua demonſtrentur, quia ſunt primæ; ita non valde egent demonſtratione, cùm ſint ſatis per ſe omnibus conſpicuæ; τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι, *quis à januâ aberret?* inquit Ariſtot. 2. Metaphyſ. 1. Hæc uberiùs quàm inſtitutum poſtulat, declarare viſum eſt ſuper contractione membrorum à triſtitia: propterea quòd quidam inſignes hujus ætatis Philoſophi non ſatis commodè ab ea difficultate ſe expedire potuerunt. Qui ita æſtuarunt, ut coacti ſint dicere animam ex rei moleſtæ apprehenſione contrahi in ſeipſam, cujus motum & contra-

Digitized by Google

ctionem ſequantur ſpiritus, quod profecto nihil aliud eſt quàm animam corpus facere. Nam etſi eam contrahi ſuo modo aſſerunt, tamen eum modum neque explicant ipſi, neque ulla philoſophia explicare poteſt, neque ulla cogitatio aſſequi. Sed non eſt hic locus huic diſputationi. Aliàs, ut ſpero, Deo juvante, ſuo in campo id excutiemus cùm de motu animæ agemus.

Capvt III.

Quomodo triſtitia lacrymas excutiat.

Qvæ autem potiſſimùm in triſtitia contrahantur partes deinceps explicandum eſt, hinc enim pendet lacrymarum expreſſio. Primùm igitur moleſti ſpecie accepta cor contrahitur ſicut in reliquis affectibus quia principium eſt vitæ, & præcipua animæ ſedes, atque ut Græci vocant, τὸ ἡγεμονικόν, quod proinde ſicut imperatorem in exercitu, ſignum reliquis partibus dare oportet ad fugiendum, aut profe-

quendum. Vt enim clavus motus totum navigium impellit, ſic cor contractum reliquas corporis partes contrahit: ὅτι δὲ (inquit Ariſtoteles lib. de motu anim.) μικρὰ μεταβολὴ γινομένη ἐν ἀρχῇ μεγάλας καὶ πολλὰς ποιεῖ διαφορὰς ἄποθεν οὐκ ἄδηλον. οἷον τοῦ οἴακος ἀκαριαῖόν τι μεθισταμένου, πολλὴ ἡ τῆς πρώρας γίνεται μετάστασις. cordis enim contractionem ſequuntur ſpiritus, introque ad ſuum principium confugiunt, inde aliæ partes, ſeptum tranſverſum, thorax univerſus, facies, cujus lineamenta ita confunduntur, ut quem lætum vidiſti, plorantem vix agnoſcas. Frons contrahitur, coëunt ſupercilia, oculi merguntur, genæ retrahuntur, os in rictum dehiſcit, qualem picturam Promethei proponit Achilles Tatius lib. 3. τὸ δὲ ἄλλο σῶμα δείκνυσι τὸν πόνον, κεκύρτωται τὰς ὀφρῦς, συνέσταλται τὸ χεῖλος, φαίνει τοὺς ὀδόντας· ἠλεήσας ἂν ὡς ἀλγοῦσαν τὴν γραφήν. i. *cæterum verò corpus dolorem indicat: curvantur ſupercilia, contracta ſunt labra, dentes nudat, picturam ut dolentem miſeratus fuiſſes.* Ex quibus intelligitur, quàm ingenioſè Poëtarum in-

nioſiſſimus Procridem etiam in triſtitia formoſiſſimam fuiſſe notet; ut inde æſtimetur, quanta eſſet ejus pulcritudo,

Triſtis erat, ſed nulla tamen formoſior illa
Eſſe poteſt triſti, deſiderioque dolebat
Conjugis arrepti: tu collige qualis in illa
Phoce decor fuerit, quam ſic dolor ipſe decebat.

Thoracis porrò & ſepti tranſverſi contractionem ſuffocatio quam ſentiunt plorantes, & ſuſpiria indicant: unde verbum στενάζειν factum teſtatur Alexander Aphrodiſæus lib. 1. Probl. 21. καὶ τοῦτο καλεῖται στενάζειν παρὰ τοῖς παλαιοῖς, παρὰ τὴν στενοχωρίαν τῆς καρδίας: contracto enim thorace cor in anguſtias redactum & vaporibus fuliginoſis oppletum per ſuſpiria affatim refrigerari poſtulat. Inde & gemitûs etymon deducit Scaliger, quòd pectus ſpirituum fuligine plenum, in ſonitum erumpat, à verbo γέμειν, quod plenum eſſe ſignificat: à quo & gemmas in vitibus dictas idem afferit, quòd eæ turgeant, ſicut innuit Poëta cùm ait;

Pleno turgent in palmite gemmæ.

Eodem pertinent ſingultus, quos Hippocrates κλαυθμώδεας ἀναπνοὰς, πνεῦμα προσπταῖον, διπλῆν ἔσω ἐπανάκλησιν, & διπλῆν πνεύματος ἐπανάκλησιν appellat, Aviſenna *duplum anhelitum*. Qualis flentium puerorum, cùm poſt inſpirationem thorax, priuſquam contractio abſolvatur, iterum extenditur ad novam inſpirationem; quod arguit duritiem ſpiritalium inſtrumentorum ab exſiccatione, quam caloris compreſſi vis facit: unde in morbis acutis talis reſpiratio metum affert convulſionis.

Hæc igitur pectoris compreſſio exprimit lacrymas, quòd ſpiritu intercluſo calorem vehementer acuat, multoſque acres vapores attollat, quibus ſeroſi capitis humores partim liquantur, partim exprimuntur, contracto pariter cerebro & carunculis angulorum. Hæc quippe vis eſt ſpiritus, ut ſi includatur, totum corpus vehementiùs intendat. Ob id Athletas, Pugileſque, & in ſtadio Curſores ingemiſcere ſolitos notat Cicero: quòd ſcilicet in profundenda voce omne corpus intendatur,

Nam qui vociferantur, ſpiritum continent neceſſariò, quia, ut vox fiat oportet ab aëre in pectore contento percuti eum qui in arteria eſt; ut docet Themiſtius 2. de anima. Cæterùm intendi flentes notat Philoſophus ſect. 11. probl. 50. συντέτανται μᾶλλον οἱ κλαίοντες. ideoque vocem acutiorem ab iis emitti putat. Idem lib. 7. Polit. cap. 17. quia cohibitio ſpiritus genus eſt exercitationis, immo id quo exercitantur, & qui plorant, ſpiritum continent, ob eam cauſam fletum puerulis palæſtræ loco eſſe cenſet, eoſque improbat, qui pueros flere legibus prohibent: τὰς δὲ διατάσεις τῶν παίδων καὶ τοὺς κλαυθμοὺς, οὐκ ὀρθῶς ἀπαγορεύουσιν οἱ κωλύοντες ἐν τοῖς νόμοις· συμφέρουσι γὰρ πρὸς αὔξησιν. γίνεται γὰρ τρόπον τινὰ γυμνασία τοῖς σώμασιν· ἡ γὰρ τοῦ πνεύματος κάθεξις ποιεῖ τὴν ἰσχὺν τοῖς πονοῦσι, ὃ συμβαίνει καὶ τοῖς παιδίοις διατεινομένοις. Dum igitur & venæ & arteriæ & oculi ſpiritu incluſo tenduntur, dum ſanguis & ſpiritus ad caput concurrunt, quod vultus flentium rubicundior, tumorque venarum teſtatur, talis compreſſio fieri efficitur, ut per

meatus

meatus oculorum & narium exire cō-gatur.

Fortaſſe & qualitas ſpirituum ad caput ſurgentium conſideranda eſt, quæ ſi eſt acris & mordax; ut vult Manelphus; oculos haud aliter vexat; ac fumus & aliorum acrium vapores. Porrò ſpiritus reddi acriores, dum ſcilicet intus compreſſi majorem calorem concipiunt, atque inſtar ignis fornace concluſi æſtuant, veriſimile eſt; imò & eos vitiari & corrumpi idem exiſtimat; quòd ſpecies rei moleſtæ à cerebro ad ipſos transfluens aliquid latentis malignitatis afferat. Quin etiam idem à præcordiis ſeu ſepto tranſverſo fletum incipere putat, quòd ea pars ſenſu eximio prædita eam ſpirituum acrimoniam non ferat, ſed concutiatur inordinatè ad ipſorum expulſionem: ſicut in rigoribus febrium tranſcurſus vaporum acrium partes ſenſiles per univerſum corporis habitum concutit. Hoc modo eos expelli ad pulmones, arteriam aſperam, & alias ſuperiores partes, per naſi autem foramina in oculos converti, quos lancinent qualitate

ſuâ, uti fumus ſolet. fletus autem initium à præcordiis duci, hinc probat, quod & ibi riſus naſcatur, qui fletui contrarius eſt, ideoque in eodem ac iſte ſubjecto ponendus.

Hæc Manelphi ſententia eſt ſanè arguta, à quo tamen quærerem, cur ſi ſpirituum acrimonia feriendo ocùlos, lacrymas excutit, inflammato diaphragmate nullæ lacrymæ cientur? Non enim fumos acriores triſtitia attollere poteſt, quàm ejus partis inflammatio, quæ motu aſſiduo vapores biliosiſſimos ad caput ceu flabello mittit, ut aptè dicit Laurentius in controverſiis anatomicis. Nec verò in ſepti tranſverſi folùm inflammationibus, ſed & iis peripneumoniis, & febribus ardentibus, & comatoſis, magna acerrimorum halituum copia effertur, in quibus tamen nullæ aut pauciſſimæ lacrymæ prodeunt: quòd tamen prodire debeant, ſi vera ſit Manelphi opinio, palam eſt.

Sed neque ſeptum tranſverſum in triſtitia concuti arbitror, quicquid garriat Auctor libri de morbo ſacro (non

enim Hippocrates, quod & Galenus ante advertit, & nos ex iis quæ in eo lib. ſcripta ſunt, Magni Hippocratis judicio haud digna, conjicimus: ut cùm aër prudentiæ & mentis particeps dicitur, eamque nobis dum inſpiratur, præbere) non inquam illud ſeptum concutitur, quin imò tunc in ſe contrahitur, itáque tenditur ut pæne immotum reddatur, unde difficultatem reſpirationis ſentiunt qui graviter dolent. Idque ex riſu contrario perſpici poteſt, qui cùm præcordia concutiat, contrarium fieri in triſtitia demonſtrat, quia, ut vulgò dicitur, contrariorum contraria ſunt conſequentia. Nec movet me argumentum à contrariis quæ in eodem ſubjecto eſſe volunt, ex quo concludit Manelphus fletum eſſe in præcordiis, in quibus & riſus. Non, inquam, me movet: immo neque ad rem concludit, quia etſi in præcordiis triſtitiam locemus, tamen hoc nihil ad concuſſionem pertinet, quam triſtitiæ eſſe motum negamus. Neque verò ea eſſe poteſt ſpirituum acrimonia, ut præcordia concutiat: certè iis concuſſis reliquum cor-

pus ſimul quateretur, ut in febrium intermittentium rigore contingit, cujus potiſſimam cauſam ſtatuit Fernelius, quòd præcordia bilis incaleſcentis fumis pungantur. Scire etiam velim qua ratione adductus & riſus primordia in præcordiis conſtituat? An quia in præliis mortem cum riſu trajecta præcordia attulerunt, ut poſt Hippocratem & Ariſtotelem Plinius lib. 11. cap. 37. teſtatur? Nempe: hoc enim argumento utitur, quo & Plinius in ea parte hilaritatis ſedem ſtatuit: ſed quàm ſit futile hoc argumentum, ex multis perſpici poteſt. Primùm verum eſſe riſum eorum qui ſic moriuntur, nego ac pernego. Verus riſus ex gaudio repentino, aut admiratione. quid igitur? graviter vulnerari & morientes gaudent, aut admirantur? nugæ. Convulſio buccarum dentes nudat, diducitque os, ut in cynico ſpaſmo. hoc iſti non ſanè prudenter pro riſu accipiunt. Sic qui herbam Sardoniam ſeu apium riſus ederunt convulſis faciei muſculis in morte ridere videntur, unde proverbiũ de riſu Sardonio. Et nos obſervavi-

mus phthiſi extrema conſumptos ſic retractis præ ingenti exſiccatione labrorum muſculis dentes nudare, ut ridentis ſpeciem præberent, qui profectò non ridebant, ſed triſtitiâ ingenti, ut par eſt, & deſperatione afficiebantur, ut pote qui ſe morti proximos intelligerent. Sed demus verum fuiſſe hunc riſum, num continuò lætitiæ ſedes in præcordiis? An ne illud quidem intelligunt cor lætitiæ ut reliquorum affectuum eſſe ſedem, in eo primos eorum motus recipi, quos deinde præcordia perſentiant, quia cordi propinqua ſunt, eique conſentiunt? Quocirca & in eodem triſtitia exoritur ipſum primo contrahens, atque inde præcordia & thoracem ab iiſque conſequenter reliquas partes.

Atque hæc de lacrymarum expreſſione ſufficiant, cujus certior causâ eſt contractio earum partium quas recenſuimus. Nam triſtitia comprimi corpus ſicut gaudio dilatari, certiſſimum eſt; aliæ cauſæ quas affert Manelphus adeo non certæ, ut eas præcedenti diſputatione certò confutatas putem.

CAPVT IV.

Quomodo lacrymæ in gaudio profluant.

NVNC de gaudio dicamus quod alteram cauſam lacrymarum poſuimus, licèt Manelphus neget, ſcribens à dolore eas propriè cieri, à gaudio autem per accidens, quatenus lætis rebus ſubeſt aliqua occaſio triſtitiæ ob aliquã circumſtantiam gravem, ad quã ſe ſe reflectens animus in ipſo gaudio triſtetur, eamque ob triſtitiam lacrymas emittat; Sic Iulium Cæſarem viſo Pompei capite fleſſe, non propriè ob voluptatem quam de morte inimici capiebat, ſed ex dolore, cùm præteritæ conſuetudinis ac neceſſitudinis recordatio eo ipſo momento animum ejus percuſſiſſet. Manelpho ſuffragari videtur Lucretius his verbis:

medio de fonte leporum
Surgit amarum aliquid quod in ipſis floribus angat.

Maximè verò Donatus Terentii inter-

pres, qui ad illà verba, ex Adelphis *oh lacrumo gaudio*, ſic ſcribit: *immoderata lætitia maximè parentum lacrymas habet: rectè ergo additum eſt gaudio, quia lacrymæ ſolum mærorem ſignificant.* Hoc eſt quum quis lacrymare ſimpliciter dicitur, ſtatim dolorem intelligimus; idcirco ſi præ gaudio fluant lacrymæ, non lacrymare ſimpliciter dicendum, ſed addito cauſæ nomine, lacrymare gaudio. Ex quibus verbis patet lacrymas judicio Donati ad triſtitiam propriè pertinere, ex quo ſequitur, quod vult Manelphus per accidens tantùm à gaudio prodire. Sed miſſa auctoritate Grammatici, quæ ſanè non magni eſt ponderis in hoc negotio, miſſa etiam lacrymæ etymo quam à lacerando animo deducit, rationes ipſas conſideremus.

Prima ratio eſt, quia quæ è gaudio fluunt lacrymæ, parum durant, pauciſſimæque ſunt reſpectu earum, quas triſtitia excutit. Hinc concludit lacrymas per ſe à triſtitia eſſe, à gaudio per accidens tantùm. Sed fallitur: licèt enim in quibuſdam accidit, vt in eodem gene-

re quod majus eſt, cauſam per ſe induſcet, quod minus cauſam per accidens, ut ſumma caliditas ab igne per ſe, minor à miſto per accidens quia ignis particeps provenit; tamen in pleriſque aliis fallit hæc ratio; Sol igne lucidior, nihilominus ignis per ſe lucidus: majus igitur lumen à ſole, minus ab igne, ab utroque autem per ſe funditur. Frigiditas ab aqua & terra per ſe; major tamen ab aqua, minor à terra. Idem de gravitate dicendum, quæ major terræ, quàm aquæ, cùm tamen utrique per ſe conveniat. Etſi igitur pauciores ſunt à gaudio lacrymæ, quàm à triſtitia, non tamen propterea ſequitur gaudium eſſe cauſam per accidens lacrymarum: immo quod pauciores ab eo eliciantur, hoc per accidens eſt, quia nec tam ſæpe gaudemus, quàm dolemus, nec tam diu lætitiam quàm triſtitiam ferre poſſumus. Fortaſſe nec æquè nos læta afficiunt ac triſtia. Quod Plinius exiſtimare videtur, cùm negat bona malis paria eſſe, etiam pari número: quo nomine Thracum vanam & imprudentem diligentiam taxat qui calculos colore

diſtinctos, pro experimento cujuſque diei in urnam condebant, ac ſupremo die ſeparatos dinumerabant, atque ita de felicitate aut infelicitate pronuntiabant. *Heu vana* (inquit) *& imprudens diligentia : numerus dierum computatur, ubi quæritur pondus.* Quod autem dixi, minùs diu ferri poſſe gaudium quàm triſtitiam liquet naturam utriuſque conſideranti. Vt enim triſtitia ſpiritus comprimit, ita lætitia diffundit. At compreſſi ſpiritus etſi tandem marceſcunt, non tamen tam citò ac cùm diffunduntur; hinc multos immodico gaudio repente extinctos legimus; triſtitia vix quemquam derepente jugulat, niſi magna adſit plethora; nam tunc ſanguis magna copia intrò cum ſpiritu confugiens repente ſuffocare poteſt. Quod autem triſtitia ex ſe mortem præſentaneam non afferat, ex Galeno colligi poteſt; qui lib. 12. Method. med. cap. 5. ait triſtitiam eo modo eſſe noxiam, quo vigiliæ, quia vires reſolvit: καὶ λῦπαι δὲ καὶ ἀγωνίαι καὶ θυμοὶ καὶ φροντίδες, ἐν οἵῳ τρόπῳ καὶ αἱ πλείους ἀγρυπνίαι, βλάπτουσι καταλύουσαι τὴν

δύναμιν. At vigiliis quemquam repente mortuum eſſe ne fando quidem unquam auditum eſt. Meritò igitur Natura noſtri providens fecit, ut minùs gauderemus, quàm triſtaremur, ne celeriùs vita noſtra cum ſpiritu nativo diſſolveretur.

Aliam addit rationem Manelphus, quod ſcilicet lacrymæ ſint ſigna doloris, non gaudij; verum hæc non eſt probatio, ſed petitio principij. Id enim maximè agitur, ut ſciamus, ſolane triſtitia lacrymas, an etiam gaudium eliciat.

Dicimus itaque lætitiam verè & per ſe lacrymas ciere, quemadmodum triſtitiam, licèt contraria ratione id præſtat. Nam hæc contrahendo ſerum exprimit, illa reſolvendo educit, dum calorem è profundo corporis ad ambitum explicans meatus omnes aperit, ſerumque liquatum eodem motu in oculos impellit, ſicut ſudorem interdum, quem in deſcribendo gaudio ingenti, ut indicium poſuit Aſpaſia in verſibus quos de Socrate fecit, citatis ab Athenæo,

κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χαρᾶς ὑπὸ σῶμα λι-
παίνω
ἱδρῶτι.

Quò & Perſii hæc ſpectare videntur:

*Si tibi crateras argenti, incuſaque pin-
gui
Auro dona feram, ſudes, & pectore lævo
Excutias guttas.*

Quamquam hæc Perſii verba de lacrymis haud incommodè accipi poſſunt, propterea quòd de pectore eas guttas excuti dicit, quæ locutio magis lacrymis convenit quàm ſudori, qui non de pectore tantùm, ſed de aliis etiam partibus prodit; & lævum pectus dictum pro mente læva veriſimile eſt. Lacrymas autem à mente, hoc eſt ab imaginatione boni vel mali præſentis quæ magnam lætitiam parit, excuti nemo non intelligit. Nunc quis hunc ſpirituum & caloris nativi motum in ambitum corporis perſpiciens, per accidens lacrymas à gaudio prolici dicat, quatenus ſcilicet nonnullus triſtitiæ motus intervenit? nam ſi ea triſtitia lacrymas exprimit, ergo contrahendo: At in gaudio ingenti & cor & multas alias partes di-

latari conſtat ; quare corpus eodem tempore contrahetur , & dilatabitur, quod abſurdum dictu eſſe nemo non videt; prætere a ut detur ſimul poſſe dilatari & contrahi , tamen id etiam explicandum eſt , utrum ſcilicet ii motus æquales ſint, an inæquales ; & ſi inæquales, uter ſit major , contractio an dilatatio. Non eſſe æquales patet ex natura contrariorum , quæ intenſa nunquam ſimul in eodem ſubjecto conſiſtere poſſunt ; dilatatio autem in gaudio inſignis eſt. Quare ſi motus ii eſſent æquales,contractio quoque triſtitiæ magna eſſet , quod impoſſibile eſt. Sunt igitur inæquales ; & aut major contractio dilatatione , aut contrà dilatatio contractione major , quorum neutrum dici poteſt: ſi enim contractio major dicatur , cùm hæc triſtitiæ propria ſit , ſequetur in eo qui effuſiſſimè gaudeat majorem eſſe triſtitiam gaudio , quo quid abſurdius dici aut excogitari poteſt ? ſi verò dilatatio contractione major ſtatuatur , jam vincet gaudium triſtitiam, ac proinde illi potiùs quàm huic lacrymarum tribuetur fluxus, quo-

niam actio ab eo quod vincit, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, à majori inęqualitate

Ex his patet impoſſibile eſſe quod ait Manelphus, gaudium lacrymas ciere propter triſtitiam ipſi admiſtam. Minus incredibile eſt triſtitiæ aliquid ſpei debere intervenire ut fletum excitet, quod à nonnullis acceptum refert Cælius. Alioqui enim triſtitia ſi ſpe omni careat, deſperatio eſt, quæ omnes corporis meatus ita comprimit, ut licet intus augeatur calor, tamen exhalare non poſſit. Minùs, id, inquam, incredibile eſt. Fortaſſe enim nec id verum eſt cùm legamus apud Martialem,

Perdiderant jam vota metum, ſecuraque flebat
Triſtitia.

De ægro loquitur, quem cùm Amici conclamatum viderent, metum cum ſpe depoſuerant, neque ampliùs vota faciebant pro eo de cujus ſalute nihil ſperarent; & hi tamen in illa triſtitia quam ſecuram appellat, nempe extra ſpem & timorem poſitam, iis malis jam perfuncti quæ timeri poterant futura, aut ſperari non futura, cũ ut non forent,

fieri poterat, quæ & Ovidio ſecura ſumma malorum dicitur, ii, inquam, in eo ſtatu flebant. Et Dido apud Maronem deliberata morte

Paulùm lacrymis & mente morata
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba.

Quo in ſtatu ſpem ullam habuiſſe quæ mori vellet, immo quæ paratum jam ferrum educeret ad mortem ſibi conſciſcendam veriſimile non eſt. quocirca ea ſententia, valde eſt mihi ſuſpecta. Sed ut ad gaudium redeamus, iis quæ dixi ſuprà de ejus in educendis lacrymis facultate, verba de eodem Hippocratis adjungere libet ex 6. Epid. ſect. 5. ἡ δ' εὐθυμίη ἀφίει καρδίην. lætitia cor laxat: vel ut Galenus exponit, lætitia facit ut calidum atque humores cor dimittant, dum ſcilicet in ambitum corporis evocantur. Vnde lætitiâ geſtientes Græci διακεχυμένους vocant: ex quo intelligitur lacrymas in gaudio effundi, quod cor laxatum ſpiritus humoreſque effundat latè in partes extimas corporis, quibus ſerum liquatur, meatus aperiuntur; & fortaſſe oculi

qui omnium partium cordi maximè conſentiunt cum corde relaxantur, utque cor ſpiritum & ſanguinem, ſic iſti ſerum quod ſemper circa ſe habent, effundunt. Hæc probabiliùs dici arbitror, quàm quæ affert Philo Hebræus lib. περὶ ἀποικίας ad explanandum hunc ipſum è gaudio lacrymarum fluxum. Vult enim animam gaudio ita extendi, ut eam ampliùs corpus non capiat; premi igitur corpus & conculcari magnitudine animæ, & ſic lacrymas compreſſione elidi: verba ejus hæc ſunt: ἀλλὰ καὶ τοῖς χορευταῖς ἀρετῆς σφαδάζειν καὶ δακρύειν ἔθος, ἢ τὰς τῶν ἀφρόνων ὀδυρομένοις συμφοράς, διὰ τὸ φύσει κοινωνικὸν καὶ φιλάνθρωπον, ἢ διὰ περιχάρειαν. γίνεται δὲ αὕτη, ὅταν ἄθροα ἀγαθὰ μηδὲν προσδοκηθέντα ποτὲ, ἀφνίδιον ὀμβρήσαντα πλημμυρῇ· ἀφ' οὗ καὶ τὸ ποιητικὸν εἰρῆσθαί μοι δοκεῖ, δακρυόεν, γελάσασα. προσαπισοῦσα γὰρ ἐκ τοῦ ἀνελπίστου ἡ εὐπαθειῶν ἀρίστη χαρὰ ψυχῇ μείζονα αὐτὴν ἢ πρότερον ἦν, ἐποίησεν, ὡς διὰ τὸν ὄγκον μηκέτι χωρεῖν τὸ σῶμα. θλιβόμενον δὲ καὶ πιεζόμενον ἀποστάζειν λιβάδας, ἃς καλεῖν ἔθος δάκρυα. Quæ opinio ei ad amuſſim reſpondet, quæ

fieri poterat, quæ & Ovidio ſecura ſumma malorum dicitur, ii, inquam, in eo ſtatu flebant. Et Dido apud Maronem deliberata morte

Paulùm lacrymis & mente morata
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba.

Quo in ſtatu ſpem ullam habuiſſe quæ mori vellet, immo quæ paratum jam ferrum educeret ad mortem ſibi conſciſcendam veriſimile non eſt. quocirca ea ſententia, valde eſt mihi ſuſpecta. Sed ut ad gaudium redeamus, iis quæ dixi ſuprà de ejus in educendis lacrymis facultate, verba de eodem Hippocratis adjungere libet ex 6. Epid. ſect. 5. ἡ δ' εὐθυμίη ἀφίει καρδίην. lætitia cor laxat: vel ut Galeſius exponit, lætitia facit ut calidum atque humores cor dimittant, dum ſcilicet in ambitum corporis evocantur. Vnde lætitiâ geſtientes Græci διακεχυμένους vocant: ex quo intelligitur lacrymas in gaudio effundi, quod cor laxatum ſpiritus humoreſque effundat latè in partes extimas corporis, quibus ſerum liquatur, meatus aperiuntur; & fortaſſe oculi

qui omnium partium cordi maximè conſentiunt cum corde relaxantur, utque cor ſpiritum & ſanguinem, ſic iſti ſerum quod ſemper circa ſe habent, effundunt. Hæc probabiliùs dici arbitror, quàm quæ affert Philo Hebræus lib. περὶ ἀποικίας ad explanandum hunc ipſum è gaudio lacrymarum fluxum. Vult enim animam gaudio ita extendi, ut eam ampliùs corpus non capiat; premi igitur corpus & conculcari magnitudine animæ, & ſic lacrymas compreſſione elidi: verba ejus hæc ſunt: ἀλλὰ καὶ τοῖς χορευταῖς ἀρετῆς σφαδάζειν καὶ δακρύειν ἔθος, ἢ τὰς τῶν ἀφρόνων ὀδυρομένοις συμφορὰς, διὰ τὸ φύσει κοινωνικὸν καὶ φιλάνθρωπον, ἢ διὰ περιχάρειαν. γίνεται δὲ αὕτη, ὅταν ἀθρόα ἀγαθὰ μηδὲν προσδοκηθέντα ποτὲ, αἰφνίδιον ὀμβρήσαντα πλημμυρῇ· ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ ποιητικὸν εἰρῆσθαί μοι δοκεῖ, δακρυόεν, γελάσασα. προσπεσοῦσα γὰρ ἐκ τοῦ ἀνελπίστου ἡ εὐπαθειῶν ἀρίστη χαρὰ ψυχῇ μείζονα αὐτὴν ἢ πρότερον ἦν, ἐποίησεν, ὡς διὰ τὸν ὄγκον μηκέτι χωρεῖν τὸ σῶμα. θλιβόμενον δὲ καὶ πιεζόμενον ἀποστάζειν λιβάδας, ἃς καλεῖν ἔθος δάκρυα. Quæ opinio ei ad amuſſim reſpondet, quæ

animam in triſtitia contrahi ſtatuit, cujus ſuprà meminimus. Verùm ita loqui eorum eſt, qui cum Tertulliano nihil animam eſſe putant, ſi non corpus, ut ipſe ait lib. de anima. Nos quis ſit ὄγκος animæ ignoramus; ab anima etiam corpus premi atque atteri abſurdum dictu & ridiculum putamus.

CAPUT V.

Cur ſerum potiùs, quàm alii humores dolore aut gaudio moveantur.

CUR autem ſerum non alii humores ex dolore & gaudio fundantur deinceps inveſtigandum eſt. Prima ratio (quantùm conjecturâ aſſequor) eſt, quia hic humor magis in promptu eſt ad effluendum; tum quia excrementum eſt, tum quia admodum tenue, poſtremò & quia cum ſanguine per univerſas partes fuſum eſt: propter quas cauſas minimis momentis vacuatur, exercitatione aut æſtu ambientis per ſudores; & per oculos, vel minimis rebus ipſos laceſſentibus, ut fumo, acrium

acrium odore & aliis ejuſmodi. Quare & prædictis animi motibus facilè ſollicitatur ad expulſionem, per oculos præſertim qui opportunos ad ſerum vacuandum meatus habent. Vt tamen interdum ſanguis per habitum corporis ſudoris in modum exire viſus, ita & per oculos more lacrymarum, mirando Naturæ motu, ſuppreſſos menſes in mulieribus per eos ductus vacuantis, cujus vacuationis teſtis eſt Dodonæus in obſervationibus. Nec tamen quiſquam ſanguinem eo modo exeuntem lacrymas appellet, cùm neque animi motum ſequatur, & toto genere à ſero differat; & perquàm infrequenter accidit, ut Natura ita ſanguinem expellat, quem contrà in deliciis habet & quantum poteſt, retinet. Reliqua excrementa craſſiora ſunt, quàm ut per poros oculorum ejici poſſint. Nam quod Iuvenalis dicit, *ut per oculos effundere bilem cogaris*, bilem more Græcorum pro ira poſuit (his enim χολὴ bilis, & ira) ira autem lacrymam excutit.

Altera ratio eſt, quòd ſingulis affectibus certus humor quem moveant, tri-

butus videtur: Verbi gratiâ: ira ſanguinem agitat, ad corque impetu compellens fervere facit atque ebullire: unde ab Ariſtotele & Galeno definitur ζέσις τοῦ περὶ τὴν καρδίαν αἵματος, & nonnullis ſanguinem erupiſſe ſciſſis labris cùm prælium irati inirent, proditum eſt, ut de Scanderbeco refert Philippus Melanchthon com. de anima. Cupiditas autem venereorum ſemen inflammat,& ad exitum impellit; conſpectus eſculentorum ſalivam in os provocat velut præludium ſaporis; Timor vehemens quæ in alvo ſunt,invitis deturbat. Ita ergo triſtitiæ & gaudio datum, ut ſerum expellant; illa contrahendo, hoc dilatando & ſolvendo.

Illud de triſtitia ſeorſim addi poteſt, dum ab ea ſanguis comprimitur humorem aquoſum facilè ſecerni, atque in ſuperioribus partibus ſupernatare; ſicut vi coaguli lacte denſato, ſerum à maſſa ſpiſſiore diſcedit. In ſententia autem eorum, qui naturam lacrymas feciſſe dicunt, ut ſigna eſſent doloris; dici poſſet, ſerum per oculos non alium humorem excerni, quia nullus hone-

ſtiùs per eam partem fluens conſpici poterat; ſi enim ſanguis illac exiret, horrori eſſet viſentibus, & faciei dehoneſtamento; multoque magis ſi alia excrementa: nunc ſerum inſtar aquæ liquidum & limpidum nihil offendit, imò gratiam habet & venuſtati addit, cùm per genas formoſas gemmarum inſtar volvitur. Iuxta illud Maronis de Eurialo adoleſcente:

Tutatur favor Eurialum, lacrymæque decoræ:

CAPVT VI.

De fine lacrymarum.

EX hac reſponſione humorum quorumdam ad certos affectus, apparet non rectè exiſtimare eos, qui lacrymas à Natura inſtitutas dicunt ad mœrorem ſignificandum. Nam & alios humores ab aliis animi affectibus moveri ob eundem finem oporteret: ut ſi ſanguis iræ impetu erumpat, ut olim Scanderbeco; aut ſi cui ex ingenti

metu retrimenta alvi laxētur;ad indicā-
dam iram aut terrorem hæc fieri dicen-
dum eſſet: quod quàm ſit dictu abſur-
dum, nemo non videt. Quin nonnullis
animalibus licèt excrementa prodeant,
certum ad finem ipſis utilem, ut ſepiis
& lolliginibus ex metu atramentum;
non tamen ut metum indicent, ſed ut
offuſa ob oculos piſcantium caligine
vitent periculum. Prætereà ſi lacrymæ
ex inſtituto Naturæ triſtitiam ſignifi-
carent, & contractio pariter eodem in-
ſtituto hanc ipſam ſignificaret. Conſe-
quentiam oſtendo auctoritate Ariſto-
telis, qui lib. 2. Phyſic. text. 78. docet
in iis quæ habent finem, ejus finis gra-
tia fieri & quod antecedit & quod
deinceps ſequitur: ἐν ὅσοις (inquit) τέλος τί ἐστι τούτου ἕνεκα πράττεται, τὸ πρότερον, καὶ τὸ ἐφεξῆς. At in triſtitia
contractio precedit, lacryme ſequuntur:
ergo ſi in his eſt aliquis finis, nempe ſi-
gnificatio triſtitiæ, non modò lacrymæ,
ſed & contractio hujus finis gratia fieri
dicenda erit; quoniā & contractio pro-
pter lacrymas erit, utpote quæ, ut oſten-
dimus, lacrymarum cauſa eſt efficiens.

Id ſi conceditur, quidni & pallere vultus dicatur, ut triſtitiam demonſtret? Nam & hujus contractio cauſa eſt. Et in ſententia Manelphi compreſſo intus calore ſpiritus acres ad caput ſublati oculos vexabunt ob hunc ipſum finem, ut mœrorem declarent. Sed & hac ratione vapores aſcendent, ut materiam lacrymis præbeant: nullaque omnino alteratio in corpore humano fiet, quæ non aliquem finem proprium habeat. Quod quàm ſit abſurdum, ii demum intelligunt, qui didicerunt ab Ariſtotele, quædam fieri in Natura ἐξ ἀνάγκης, ex neceſſitate materiæ: quæ ſcilicet nullius rei gratiâ fiunt, ſed materiæ motum ſequuntur: non enim omnia propter finem. Ita igitur Ariſtoteles lib. 5. de generatione animalium: ὕτω δ' ἐπ' ἐνίων οὐ πρὸς τὸν λόγον συντείνει τῆς οὐσίας· ἀλλ' ὡς ἐξ ἀνάγκης γιγνομένων, εἰς τὴν κινήσασαν ἀρχὴν ἀνακτέον τὰς αἰτίας. Hujus generis multa in animalibus reperiuntur: Saliva in os redundans ex deſiderio eſculentorum; unde ſalivam movere, per metaphoram idem eſt, ac cupiditatem rei cujuſpiam

excitare: humiditas quam in coitu geſtiens voluptate uterus profundit, alia à ſemine, nihil ad generationem conferens: lac in mammis non ſolùm puellarum, ſed & puerorum poſt decimum quartum ætatis annum, juxta illud Eumolpi apud Petronium: *implevi lactentibus papillis manus.* item in prægnantibus ante ſeptimum menſem: non enim id infanti nondum maturo, nec niſi poſt aliquot menſes prodituro in lucem, uſui eſſe poteſt. Addit Averroes, mutationem vocis in adoleſcentibus, quam τράγον Græci appellant, & canitiem in ſenectute: *quarum* (inquit) *affectionum omnium nulla alia eſt cauſa, quàm neceſſitas materiæ & moventis.*

Præterea quid opus eſt fletu ad dolorem ſignificandum, cùm vocem habeamus quam naturà jucundi & moleſti indicium fecit animalibus: ita enim docet Ariſtoteles lib. I. Politic. cap. 2. ἡ μὲν φωνὴ, τοῦ ἡδέως καὶ λυπηροῦ ἐστι σημεῖον. Addit propterea aliis animalibus ineſſe. διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζώοις. ut intelligatur hoc magis proprium eſſe

doloris aut gaudii ſignificandi inſtrumentum, utpote quod pluribus animalibus conveniat, cùm lacrymæ pauciſſimis contingant. Idem libro περὶ ἑρμηνείας, notas animæ affectuum in voce conſtituit his verbis : ἔςι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. quod licet de voce ex humano inſtituto ſignificante, & de iis quæ intellectui imprimuntur, accipiunt interpretes, tamen communi omnium animalium voci nihilo deteriùs accommodari poteſt. Nam profectò vox, quomodo animo affecti ſimus, multò manifeſtiùs quàm fletus declarat, non ſolùm in hominibus, qui voce utuntur diſtincta, ſed etiam in aliis animalibus, quæ vocem pro variis affectibus variè inflectunt, & modò attollunt intenduntque, modò deprimunt, & per multas alias differentias in ſuo quodque genere efformant; de quibus Lucretius eleganter libro 5. ex cujus & verſibus colligi poteſt, præcipuam vocis vim eſſe in animi affectibus ſignificandis;

Poſtremò quid in hac mirabile tantopere
eſt re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua
vigeret,
Pro vario ſenſu varias res voce notaret;
Cùm pecudes mutæ, cùm denique ſecla
ferarum
Diſſimiles ſoleant voces variaſque ciere,
Cùm metus aut dolor eſt, & cùm jam
gaudia gliſcunt.

Et paulo inferiùs,

Varii ſenſus animalia cogunt
Muta tamen cùm ſint, varias emittere
voces.

Ex his varietatibus quas in voce dolor aut voluptas ciet, Muſicam eſſe natam dixit Theophraſtus, teſte Plutarcho lib. 1. Symp. qu. 5. cujus hæc verba ſunt: λέγει δὲ Θεόφραστος μουσικῆς ἀρχὰς τρεῖς εἶναι, λύπην ἡδονὴν ἐνθουσιασμόν, ὡς ἑκάστου τούτων παρατρέποντος ἐκ τοῦ συνήθους καὶ ἐγκλίνοντος τὴν φωνήν. Cicero lib. 3. de oratione 16. *omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant ut à motu animi quoque ſunt pulſæ.* Quorſum igitur hæc tam multa? ut intelligamus fruſtra lacrymas requiri ad propalandum

dolorem aut gaudium, cùm id gemitus & queſtus multò meliùs præſtent. Dicet aliquis: nonne igitur ex fletu triſtitiam intelligimus? fateor; ſed hunc tamen, ut eam cognoſceremus, nego à naturâ eſſe comparatum. Multa enim nos in notitiam quorumdam perducunt, quæ tamen ad illa ſignificanda minimè facta ſunt. Accidentia præſertim propria & operationes nobis utilia ſunt ad cognoſcendas ſubſtantias: an tamen quiſquam dicat, proprietates fluere è ſubſtantiis ſuis, ad nos docendum, quænam ſit ſubſtantia è qua manant? Quis tam futilis ut calorē aut fumum ab igne, ut ignem cognoſcamus, prodire dicat? procul ſint à nobis hæ ineptiæ. Natura accidentia propter ſubſtantias, ut iis perficiantur & agant, non propter nos fecit. Nos quædam quibuſdam conjuncta obſervantes, alia ex aliis pernoſcere inſuevimus. Hinc omnis Philoſophia pendet. Propterea Deus nobis ſenſus dedit, ut illa obſervaremus, non autem illa effecit, ut cognoſceremus: alioqui intellectus noſter totius naturæ norma ac menſura

eſſet, & reviviſceret dogma Protagoræ ſtatuentis hominem *μέτρον ἁπάντων.*

Objectio. Nunquam lacrymæ propriè dictæ, niſi ex aliquo animi motu profluunt; igitur factæ lacrymæ ad motus animi ſignificandos. Nego conſequentiam: quod enim lacrymæ ſolo quorumdam affectuum impulſu moveantur, non uſus ſignificandi, ſed ipſarum natura in cauſa eſt, quæ eſt, ejuſmodi, ut eæ aliter expelli nō poſſint, ſicut ſemen niſi ex motu libidinis non erumpit, Galeno etiam teſte com. 3. ad 6. Epid. ſent. 14. & in tractatu *περὶ τῶν ἀπόρων κινήσεων*, *de obſcuris motibus*, qui quidem non extat, à Galeno autem ibidem citatur. Ita & ſudores aut vehementi exercitio, aut æſtu ambientis dumtaxat, vacuantur. Ratio eſt, quia ſerum non uno tantùm modo, aut inſtrumento expelli debuit, ſed multis; utpote quod magna copia gignatur, & per omnes corporis partes fuſum ſit. Ergo Natura mirabili ſolertia inſtituit hoc ſeri redundantis diverticulum, ut ad ipſum vacuandum oculis & animi affectibus abuteretur.

His apponere libet ſententiam Scaligeri ex commentario ad lib. 1. hiſtoriarum de animalibus cap. 3. part. 27. qui de pilorum fine ita cenſet : *nullum habent* (pili) *finem activum : quid enim agunt pili ſub axillis ? ſed paſſivum ſicut cætera ſuperflua : excernuntur enim ut corpus expurgetur.* Transfer ad lacrymas. lacrymæ ſunt excrementa, ergo non habent finem activum, ut ſignificent motus animi noſtri, ſed paſſivum, ut corpus expurgent.

Nec tamen ſi lacrymæ non ad eum finem factæ ſunt, continuò ad nullam rem utiles cenſendæ : ſunt enim alii uſus quos animali dum fluunt, præſtant, de quibus nunc agendum. Primùm igitur caput, glandulaſque oculorum & carunculam angulis affixam expurgant; tum reliquum corpus conſecutione, dum in diuturnis fletibus ſeroſi humores novi ſubinde ad oculos ſuccedunt, quibus itidem effluentibus corpus levatur. Sed & hominem ſolum emiſſo humore, cæcitate liberari Plinius teſtatur. Cavendum tamen eſt ne ad multum tempus continuentur fle-

tus, quòd ea res oculos hebetet, minores etiam reddat, quàm eſſe naturaliter debeant, ut Celſus notat lib. 6. ubi de curatione oculorum imminutorum. Addit Manelphus corpus fletu immodico frigidius reddi, ac debilitari, febres etiam interdum accendi, voci itidem non parum incommodari, dum faucibus atque aliis inſtrumentis inter flendum madefactis exaſperatur & irraueſcit, catarrhis denique ac tuſſibus occaſio præbetur,

Alium uſum ex Plinio obſervo, ut ſcilicet lacrymæ tunicis oculorum ſordes abluant, Sic enim de oculis ille libro 11. *Tenuibus* (inquit) *multiſque membranis eos Natura compoſuit, contra frigora, calloſiſque in extremo tunicis, quas ſubinde purificant lacrymationum ſalivis.* Hunc uſum nemo non in ſe experitur cùm quidpiam in oculos incidit: ſtatim enim ii humore implentur, nec ceſſant lacrymare, donec illud noxium expulſum fuerit. Iuvat autem non parum expulſionem humoris ille affluxus, dum noxam oculis revellit, ſecumque foras exire cogit,

PETRI PETITI
MEDICI PARISIENSIS
DE LACRYMIS
LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

SVPERSVNT problemata de lacrymis non injucunda, quibus hunc poſtremum librum dicamus, quòd ea commodiùs ſeorſim tractentur, quàm ſi diſputationibus, quæ de cauſis & natura, ordine inſtituuntur, interponerentur: quarum profectò filum interrumperent & lucem turbarent. Cæterùm nihil adeo ſtudemus in his & in aliis omnibus, quàm habere delectum eorum quæ ſcribamus. Non enim omnia placent. Quædam facilia ſunt, nec diſputatio-

nem habent: non pauca aliorum ſcriptis vulgata. Sunt & quædam futilia & inepta, quibus prætermiſſis ea tantùm attingimus quæ dubitationem habent cum doctrina eleganti conjunctam, partim à nobis excogitata, partim ab aliis accepta, & præſertim ab Ariſtotele, cujus quæſtiones ad noſtrum inſtitutum pertinentes, licèt ab eo in libris problematum tractatas, prætermittere ob tanti Magiſtri auctoritatem relligio fuit.

Problema I.

An ſolus homo lacrymas emittat.

Casserius Placentinus, Io. Manelphus, & alii recentiores ſolum hominem lacrymas emittere contendunt, quibus ſuffragari videtur Plinius in proœmio lib, 7. ita ſcribens: *Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas* &c. item Iuvenalis cùm naturam

hominibus molliſſima corda & lacrymas dediſſe ait,

Molliſſima corda
Humano generi dare ſe Natura fatetur
Quæ lacrymas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus.

Addunt rationes. Placentinus arguit ejus eſſe flere, cujus & ridere; quòd contraria idem habeant ſubjectum: hominem ſolum omnium animalium ridere: igitur & flere. Manelphus ait bruta animantia dolores tantùm corporis ſentire, è quibus non propriè ſequantur lacrymæ, ſed gemitus, queſtus, ululatus, clamores: triſtitiam ſoli homini ineſſe, qui animum habet ratione præditum: hanc eſſe quæ præcordia conſtringat, iiſque motibus agitet qui ad lacrymas expellendas pertinent: non eſſe fletum aliis animalibus neceſſarium, quæ aliis ſignis dolores ſuos indicent, putà inclinatione ac depreſſione aurium, ut in equis dolentibus videre eſt, de quibus Plinius ita ſcribit libro 11. cap. 37. *In equis, & omnium jumentorum genere, indicia animi præferunt, aures feſſis marcidæ, micantes*

pavidis, *ſubrecta furentibus*, *reſoluta ægris*. Sapienter Naturam feciſſe, ut animi affectuum ſigna homini in oculis poneret, qui ob erectam corporis ſtaturam, eam partem maximè conſpicuam haberet, aliis animalibus eadem in auribus potiùs, quæ iis magis paterent. Quæ rationes eò ſpectare videntur, ut pauciores lacrymas ea animania emittere credamus, non ut nullas. Nam quod ad auctoritates attinet, iis alias multò plures opponere poſſumus. *Amiſſos* (inquit Plinius de equis) *lugent dominos*, *lacrymaſque interdum deſiderio fundunt*. Idem Iſidorus teſtatur lib. 12. cap. 1. *interfectis vel morientibus dominis multi* (*equi*) *lacrymas effundunt*. *Solius equi eſt propter hominem lacrymari*. Sed & multò antè Homerus flentes Achillis equos in exequiis Patrocli fecerat; quod poëticè dictum videri poterat, niſi aliorum teſtimonia haberemus. malè igitur Servius ad hos verſus Maronis,

Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora. Poë-

Poëticâ licentiâ id fictum cenſet: *quod autem* (inquit) *equum dicit lacrymare, non mirum eſt: cùm Homerus etiam divinantem induxerit Xanthum equum, Achillis mortem divinantem. Equos quoque Achillis inducit Patroclum lugentes.* Non ſapienter (inquam) iſte Grammaticus: oſtentum potiùs diceret; qualè accidiſſe paulò ante mortem Caii Cæſaris Tranquillus haud futilis earum rerum auctor teſtatur, ita ſcribens: *Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſimè pabulo abſtinere, ubertimque flere.* Sed mihi videtur doctiſſimus vates reſpexiſſe hoc loco ad ingenium equorum, qui, ut ſuprà animadverſum, dominos amiſſos lugent. Fuit enim Maro hiſtoriæ animalium perſtudioſus, maximeque equorum naturas calluit, quos &, Donato teſte, curabat, hoc modo Magiſtro ſtabuli equorum Auguſti inſinuatus. Qui igitur hanc equorum indolem ſciret, de ea teſtari in poëmate, ut de multis aliis rerum proprietatibus voluit. An verò & avis Philomela ereptis pullis

fleat, ut idem in quarto Georgicon ſcripſit, non poſſum affirmare; quia alios Auctores dixiſſe non memini, & res profectò difficilis ad obſervandum; verſus tamen ejus quovis nectare ſuaviores adſcribere libet,

Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.

Iam verò Leones lacrymas moriendo emittere fama eſt; & Plinius teſtatur lib. 8. cap. 16. *creditum eſt* (inquit) *à moriente humum morderi, lacrymamque letho dari.* Idem & ex verbis Ariſtotelis colligi poteſt, quibus problema 50. ſect. 10. explicat. Quæſtioni enim cur homo præ aliis animalibus fumo infeſtetur, reſpondet, ὅτι μάλιςα δακρύει, *quia maximè lacrymat:* quod non dixiſſet, niſi alia etiam animalia la-

crymas mittere exiſtimaſſet ; alioqui enim ſufficiebat ſimpliciter dicere ὅτι δακρύει. nunc quod μάλιςα dixit, comparationem indicat.

Præter hæc auctorum teſtimonia, id ipſum patet multorum animalium naturam conſideranti, quibus ſi nihil deeſt eorum quæ ad exprimendas lacrymas valent, quid eſt quamobrem ea flere inficiemur? Pleraque cerebrum habent amplum & multi ſeri capax, pleriſque major ſeri copia quàm homini, ut aſinis & camelis, quorum lac tenuiſſimum, auctore Galeno. Nonnullis magna vis imaginationis quæ ad mentem humanam proximè accedat, ut equis, jumentis, bobus, & maximè elephantis, quos Apollonius apud Philoſtratum ab homine ſecundos ponebat; flere autẽ veriſimile eſt, & Plinius fortaſſe intellexit, cùm refert Pompei elephantos quos is n circo dabat ſpectaculum populo Romano, amiſſa fugæ ſpe miſericordiam ulgi inenarrabili habitu quærentes applicaviſſe, quadam ſe ſe lamentatioe complorantes, tanto (addit) populi olore, ut oblitus Imperatoris, ac mu-

nificentiæ ſuo honori exquiſitæ, flens univerſus conſurgeret, diraſq; Pompeio, quas ille mox luit pœnas, imprecaretur. Quod autem negat Manelphus triſtitiam ſeu mœrorem cadere in belluas, & ſine ratione negat, & contra quam experientia docet. Etſi enim rationis expertes ſunt: tamen & memoriâ valent; & eâ imaginationis facultate pollent, quæ rationi reſpondeat: inſtinctum vulgò appellamus, quem nonnulli ita admirati ſunt, ut à ratione non diſtinxerint. Itaque Delphinos puerorum dilectorum deſiderio mortuos legimus: cúmque equi & canes dominos abſentes, feminæ catulos ereptos requirunt, nonne hæc vera triſtitia eſt?

At mater virides ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conviſens oculis loca; ſi queat uſquam
Conſpicere amiſſum fœtum: completque querelis
Frondiferum nemus, &c.

Quæ deſcriptio vaccæ eſt vitulum

ademptum querentis apud Lucretium lib. 2. ex qua licet intelligere non ſolùm corporis ſenſu, ſed & animæ dolere beſtias. Quod autem addit fruſtra iis lacrymas addi, quæ aures habeant doloris indices, ſuprà deſtructũ eſt, cùm lacrymas per ſe dolorem non indicare oſtenderemus. Nunc verò & hominum exemplo refellitur, qui & ipſi præter lacrymas, multa habent alia ſigna triſtitiæ, ut voces, gemitus, ſuſpiria, frontis obductæ quoddam quaſi nubilum. Plin. lib. 11. c. 37. *Frons & aliis: ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis judex.* Iuvenalis ſat. 9.

Scire velim quare toties mihi Nævole triſtis
Occurras fronte obductâ.

Plures notas mœroris poſuit Martialis in hoc Epigrammate,

Quod fronte Selium nubila vides Rufe;
Quod ambulator porticum terit ſolus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod pæne terram tangit indecens naſus;

Et dextra pectus pulſat, & comam vel-lit.

Et quæ ſequuntur. Aretæus lib. I. χεο-νίων παθῶν inter geſtus mœrentis ponit, ſi humeros adducat: πθεὶς τὰ ὅπλα, πρῶτον ἔςενεν. ἔπειτα ἐπῆγεν ὤμω ἐξιών. Sura quoque femori impoſita ſummæ triſti-tiæ ſignum in Scripturis, Iudicum ca-pite 15. *Percuſſitque eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent.* Cùm præter tot ſigna triſtitiæ, lacrymas in hominibus admittat Manelphus, cur eaſdem in brutis cum geſtu aurium eſ-ſe neget, non video.

Supereſt videre; an verum ſit fletum eſſe homini proprium, cui & riſus; propterea quòd contraria idem ſubje-ctum poſtulent. Hoc enim argumen-tum ſuprà ex Placentino adduximus. Verùm neque id concludit: non enim fletui ſimpliciter contrarius riſus, ſed propter gaudium tantùm, quod per ſe triſtitiæ oppoſitum eſt. Præter hoc ve-rò ineſt & riſui admiratio, quæ ſuſpen-ſionem ac tenſionem facit, ſicut gau-dium relaxationem: ex quorum mo-tuum concurſu exiſtit quædam (ut ver-

bo Fracaſtorij utar) contranitentia, ex qua demum præcordiorum concuſſio & ſubſultatio totum pæne hominem haud abſque dolore agitans. Cùm igitur id quo riſus triſtitiæ eſt contrarius nempe gaudium, in brutis reperiatur, perinde, ut in hominibus; quà autem homini idem peculiaris eſt, putà admiratione; non ſit fletui contrarius; patet & riſum homini proprium, & fletum nihilominùs in brutis eſſe poſſe ſalvo & incolumi jure contrariorum. Locum Plinii initio adductum, quo ſolus ex omni animantium genere homo ad lacrymas natus traditur, corruptum cenſet Hermolaus, atque ita reſtituit: *nullumque tot animalium aliud pronius ad lacrymas*, &c. Quo pacto emendatus non modò non eſt contra nos is locus, ſed etiam noſtram opinionem imprimis confirmat. Demum lacrymas homini à natura datas ait Iuvenalis, non quia ſolus emittat, ſed quia ſæpius, & majore copiâ.

Ex his patet Manelphi dubitationem eſſe nullam, qua quærit quamobrem cùm fletus ſoli homini, & omni, & ſem-

per, conveniat, riſum tamen hominis proprium quarto modo ſtatuat Porphyrius, & poſt eum Philoſophi omnes: τέταρτον δὲ (inquit) ἐφ' οὗ συνδεδράμηκε καὶ τῷ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί· ὡς τῷ ἀνθρώπῳ τὸ γελαστικόν. Ipſe autem reſpondet id factum, quia riſus naturalis eſt, fletus præter naturam, quippe à re moleſtâ triſtitiam inferente: quæ reſponſio nec ipſa idonea eſt. Nam licèt id quod fletum excitat, non ſit nobis conveniens, tamen triſtitia proxima lacrymarum cauſa, tam naturalis eſt homini, quàm gaudium. Gaudet enim quatenus eſt appetitûs particeps: At appetitus eſt πρῶτον δεκτικὸν, & æquale triſtitiæ & gaudii. Deinde mors magis contra naturam eſt, quàm fletus, & tamen τὸ θνητὸν, *mortalitas* differentia eſt hominis apud eundem Porphyrium.

PROBLEMA II.

Cur homo primo in lucem ingreſſu fleat.

HOMINEM flere quùm naſcitur, & notum experientiâ, & à maximis auctoribus paſſim celebratum. Plato in Axiocho : τί μέρος τῆς ἡλικίας οὐ τῶν ἀνιαρῶν; οὐ κατὰ μὲν τὴν πρώτην γένεσιν τὸ νήπιον κλαίει, τοῦ ζῆν ἀπὸ λύπης ἀρχόμενον, *quaeſt pars ætatis moleſtia vacans ? nonne in primo ortu infans plorat, vitam à dolore incipiens ?* Idem Plato in ſeptimo de legibus, animal omne naſcendo ſtatim clamare ait, hominem clamori præ aliis ploratum addere : ὡδί πως φθέγγεσθαί που μετὰ βοῆς εὐθὺς πᾶν εἴωθε τὸ γεννώμενον, καὶ οὐχ ἥκιστα τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος· καὶ δὴ καὶ τὸ κλαίειν πρὸς τῇ βοῇ μᾶλλον τῶν ἄλλων συνέχεται. Ariſtoteles 7. hiſtoriarum pueros εὐθὺς φθέγγεσθαι ait, hoc eſt, vociferari, quemadmodum Plato; ſed fletus non meminit; An quia ſatis vagitûs nomine in-

telligatur ? ceu nunquam vagiant infantes ſine fletu, ſicut nunquam citra vagitum flere conſpiciuntur. Ob quam cauſam fortaſſe & Lucretius l. 5. miſerabilem hominis ortum deſcribens, ſolius vagitûs meminit:

Tum porrò puer ut ſævis projectus ab undis
Navita nudus humi jacet, infans indigus omni
Vitali auxilio: cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt,
Cui tantùm in vita reſtet tranſire malorum.

At Plinius in proœmio lib. 7. de eodem ortu hominis loquens, vagitum ſimul & lacrymas poſuit: *hominem tantùm nudum, & in nuda homo, natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum: nullumque tot animalium pronius aliud ad lacrymas, & has protinus vita principio.* Et paulò pòſt: *itaque feliciter natus jacet, manibus pedibuſque devinctis, flens, ani-*

mal cæteris imperaturum: & à ſupplicijs vitam auſpicatur, unam tantùm ob culpam quia natum eſt. Eadem mente Seneca, verus (ut quidem arbitror) magiſter ſententiarum, in conſolatione ad Polybium, fletum *primum naſcentium omen* appellat. Sed & Virgilii eódem ſpectant hæc,

> *Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,*
> *Infantumque animæ flentes in limine primo.*

De hoc fletu ſicut & riſu infantium inſignis eſt locus apud Hippocratem, ſive Polybium in lib. περὶ ὀκταμήνου, quem adſcribere placet, non qualis extat in vulgatis editionibus; ſed prout emendatus eſt à Talentonio in 1. Recond. rer. c. 22. ἔν τε τοῖς ὕπνοισι εὕδουσιν εὐθέως ἐπὴν γένωνται γελῶντα φαίνεται τὰ παιδία κλαίοντα. ἐγρηγορότα τε αὐτόματα οὔτε γελᾷ, οὔτε κλαίει πρόσθεν, ἢ τεσσαράκοντα ἡμέρας γενοίατο. οὐδὲ γελᾷ ψαυόμενά τε καὶ ἐρεθιζόμενα πρόσθεν, ἢ αὐτοῖς ὁ χρόνος οὗτος γένηται. i. *Atque in ſomnis ſtatim atque in lucem editi ſunt, ridentes & flentes pueri conſpiciuntur: expergefacti autem, ſuâ quidem ſponte neque rident neque flent,*

priuſquam dies tranſacti ſint quadraginta. Ac nec tactu aliorum aut titillatione provocatur iis riſus ante illud tempus. Cui ſententiæ ſubſcribens Ariſtoteles lib. 7. hiſtor. cap. 10. ait, *pueri, neque rident, neque flent vigilantes ante quadrageſimum diem à partu.* Sed animadvertendum eſt iſtud verbum κλαίω, quo ſuprà laudati auctores utuntur, ploratum ſeu ejulatum, id quod in puerulis vagitum appellamus, ſignificare: nempe vocem quamdam ex dolore prodeuntem cum intentione vehementi (quæ definitio eſt vagitus apud Galenum com. ad 3. prognoſt. ubi verbum κλαυθμυρίζειν, quod vagire ſignificat, exponit τὸ κλαῦσαι μετ' ἐντάσεως σφοδροτέρας) quam rem non neceſſariò lacrymæ ſequuntur. Ita enim egregius Scaliger in com. ad l. 7. hiſtor. partic. 110. notat (quod & experientia docet) *paucos infantes flere ita, ut lacrymentur: vagiunt quidem* (inquit) *ſed ſiccis oculis.* Cui ſuffragatur Nicander Ioſſius in ſuo de fletu Opuſculo, ubi vagitum à fletu diſtinguit, quòd ille lacrymis careat, aut certè exiguas habeat. Addit Scaliger rationem neuti-

quam (ut mihi quidem videtur) probabilem: non lacrymari infantes; quia ſuperfluum illud atræ bilis in principiis humidiſſimis calidiſſimiſque eſſe non poteſt: frigidiſſimam enim illam eſſe & ſicciſſimam. Ceu verò lacrymæ omnes ab illa bile educantur, quas conſtat (& ſuprà à nobis demonſtratum eſt) ex ſero redundare ſicuti urinam & ſudores. Nam ſi ea ratio vera eſt, cur mulieres multò ſunt ad lacrymas proniores quàm viri, quæ minimum atri illius humoris virorum comparatione colligunt? cur infantes poſt aliquot menſes à nativitate cùm expergiſci incipiunt, copioſas lacrymas profundunt? An bimi aut trimi pueri affatim atræ bilis generant? Non eſt igitur hîc dignus Scaliger aſſenſione noſtra. Sed ideo non lacrymari recentes à partu exiſtimandum eſt, quia animi uſum non habent, quo dolorem ullum percipiant, ſed ſolo corporis ſenſu dolent, quicquid dolent: animi autem dolore potiùs quàm corporis lacrymas elici ſuprà oſtendimus. Quod etſi verum eſſe patet experientiâ, tamen nihilo ſe-

cius de illo ploratu puerorum atque eiulatu hîc & capite ſequenti agemus rerum affinitate velut manuducti.

Primum itaque eſt quod miremur flere qui è tenebris in lucem exeunt; qui vitam, qua dulcius nihil, auſpicantur. Nam ſi mori tam acerbum eſt cunctis animantibus, quomodo naſci non jucundiſſimum? An quia, ut Lucretius citatis verſibus cenſet, vita miſeriarum plena? propter quod narrat Herodotus ſolitos, apud Trauſos, parentes & propinquos naſcentem circumſiſtere flentes atque ejulantes, quòd huic tot mala ætatis decurſu perferenda eſſent: gratulari autem morientibus, & in exequiis ludere, quòd felices exiſtimarent, qui vitæ labores morte defugiſſent. Quibus ſanè populis multa veterum ſapientum dicta patrocinantur, quibus viſum non naſci optimum eſſe aut quàm citiſſimè aboleri: quæ ſententia tam vulgò probata ac recepta fuit, ut in proverbium abierit, unde ſenarius,

τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιστον ἐστ' ἀεὶ
ἐπὰν δ' ἐγένηθ' ὡς τάχιστ' εἶναι τέλος.

Et Theognis in Angeltico,
ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
φύντα δ' ὅπως ὤκιστα, πύλας ἀΐδαο περῆσαι.
Hoc dictum Sileno qui à Mida captus fuit,adſcribit Cicero prima Tuſcul. ubi & complura alia in eandem ſententiam pulcherrimè diſputat. Verumenimverò ut nunquam eos qui vitam damnant probare potui, ſic nec iis nunc aſſentior, qui præſagio malorum quæ paſſuri ſint, infantes lacrymare putant. Sic enim qui è vita excedunt, ridere oporteret. Niſi ſi Natura ſenſum habet quo malum percipiat : non autem quo bonum. Sed nec eorum ſententiæ accedo, qui naſcentes flere ob eam cauſam putant, quod anima eorum cælo tam beata ſede dejecta, in corpus hocce lutoſum & fragile commigraverit : ob quam commutationem & doleat ipſa, & infantulos plorare cogat. Cujus opinionis meminit Alexander Aphrodiſæus probl. 71. lib. 1. eamque damnat non injuriâ, ut quæ animas fuiſſe multò antè, quàm corporibus alligarentur, falsò adſtruat : licèt eam Platoni, & Origeni placuiſſe haud.du-

bium, qui animas corporibus antiquiores poſuerunt, atque adeò unà cum Deo in æternitate fuiſſe. Quod & Ariſtoteles fortaſſe voluit, qui in humana generatione, ſolam mentem, quam νοῦν appellat, ejuſmodi cenſet, ut extrinſecus accedat: λείπεται δὲ (inquit) τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι. Quin & Syneſius ei errori tantùm favit, ut ab eo nullis conditionibus ſe poſſe unquam dimoveri teſtetur. Cùm enim in epiſtola 105. multa adducat Philoſophorum dogmata Chriſtianæ relligioni diſſentanea, ob quæ cogatur ſibi oblatum ſacerdotij honorem repudiare, quòd ea nolit abjicere; id quoque de quo loquimur, ponit: ἀμέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν, *nimirum animam nunquam cenſebo corpore poſteriorem origine.* Sed nec ſi id concedatur, continuò id efficiant, quod volunt: immo minimè eſt ad rem hæc opinio. De naſcentium enim fletu agitur: at quis tunc animam corpori adjungi dicat, cùm infans in lucem editur? Nonne multos ante menſes ad corpus acceſſit, ut primùm

mùm abſoluta conformatione ejuſmodi exſtitit, ut ipſam poſſet excipere? Quod tempus in maribus trigeſimo die, in feminis quadrageſimo definitum eſt ab Hippocrate lib. περὶ παιδίου & περὶ ἀρχῶν. Cùm igitur jam octo prope menſes in corpore anima tranſegerit; cùm puer naſcitur; non tunc primùm flere ipſum, ſed multò antè decuit; ſi eſſet, ut ob eam cauſam fleret. Verùm etiamſi (ut dixi) detur, animas noſtras ante has res in cælo exſtitiſſe: non tamen ſequatur dolorem ab ea percipi ullum; ex ejuſmodi conjunctione: quam illi ipſi fatentur; corporis contagio adduci in oblivionem ſuperioris vitæ. Rectiùs ſentire videntur, qui eas lacrymas & labori quem naſcendo ſubeunt infantes, & ſubitæ rerum pæne omnium commutationi adſcribunt: qui de matris utero repentes, aëri repente frigido exponantur, manibus obſtetricum inſuetis tractentur, linteis & pannis qualibus adulti, vinciantur, qui paulò antè carne & humoribus amiciebantur: αὐτὴ τῇ σαρκὶ ϗ χυμοῖς ἀμφιεσθεῖσα χλιεροῖσί τε ϗ ὑγροῖς ϗ συγγενέσι τοιαῦτα

ἀμφιέννυται τὰ παιδία, οἷα τῷ, οἱ ἄνθρωποι, inquit Hippocrates lib. περὶ ὀκταμήνου. Similia his profert Seneca Epiſt. 102. ita ſcribens: *gemis, ploras, & hoc ipſum flere naſcentis eſt: ſed tunc debebat ignoſci, rudis & imperitus omnium veneras, ex maternorum viſcerum calido mollique fomento emiſſum afflavit aura liberior: deinde offendit dura manus tactus, tenerque adhuc & nullius rei gnarus obſtupuiſti inter ignota.* Ita & Sextus Empiricus lib. 10. contra Mathematicos, puerum à partu flere ſcripſit, quòd aëris frigidioris afflatu pulſetur: Verba ejus hæc ſunt illis Senecæ planè congruentia: γεννηθὲν γοῦν παιδίον καὶ μηδέπω κατὰ δόξαν δουλεῦον ἅμα τῷ ῥαπισθῆναι ἀσυνήθει ἀέρος ψύξει ἔκλαυσε καὶ ἐκώκυσεν. Ita demum & Alexander Aphrodiſeus citato loco. Tum Scaliger in commentario ad lib. 7. hiſtor. de anim. cap. 13. part. 105. vagire pueros docet in illo exitu, quòd dum luctantur ſpiritum diutiùs continuerint: *Cùm* (inquit) *vox ſit aëris percuſſus ex aëre prodeunte à pulmone animalis; neceſſe eſt poſt longam ſpiritus contentionem vocem*

emitti: laboravit autem infans in veſtibulo illo. Etiam nonnulli ſuffocantur, aut atri exeunt. Tum illud ejuſdem in fine: *hæc ſunt auſpicia noſtræ inſolentiæ: clamor, & fletus.*

PROBLEMA III.

Cur tam facilè pueri flent.

NON ſolùm dum naſcuntur, ſed & editi in lucem primis pueritiæ annis plorant ſæpiſſime puelli, vagitu importuno ubique perſtrepentes. Vnde illud Homeri,

> τίπτε δεδάκρυσαι Πατρόκλεις ἤυτε κούρη Νήπιη:

Et nos vulgò adultorum lacrymas ſic caſtigamus, pueris comparantes ad exprobrandam imbecillitatem. Cauſæ multæ hujus tam crebri fletus commemorari poſſunt: corpuſcula eorum tenella promptiùs calore aut frigore, aut contactu, multiſque aliis modis læduntur, nulliſque non externis cauſis patent; morbis etiam variis obnoxia

ſunt, quos deſcribit Hippocrates ſect. 3. Aphoriſm. 24. & ſequentibus. Vbi pueros per gradus ætatum partitur in modò editos & adhuc à matre rubentes: in eos qui incipiunt dentire: & in grandiores & ad annos pubertatis accedentes. Primos παιδία σμικρὰ καὶ νεογνὰ, qui hos ſequuntur τὰ πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγοντα, poſtremos τὰ πρεσβύτερα appellat. Ex quibus ii maximè plorant quos recentes à partu Latini *infantes*, quòd nondum fari poſſint, Græci βρέφη nominant. Quibus præter morbos vagitum & fletum cientes magna eſt corporis humiditas: cerebrum ampliſſimum atque humidiſſimum reliqui corporis comparatione: nullus judicii uſus, nulla ratio ſignificandi doloris præter vagitum & fletum. His igitur, qui loqui non poſſint, uti coguntur: & ob eam cauſam ſæpius vagiunt, ſæpius flent. Plato in Axiocho: λαλῆσαι μὲν ὕπω δυνάμενον (παιδίον) ἃ πάσχει, κλαυθμυριζόμενον δέ. Idem 7. de legibus, ploratus & vociferationes ſigna minimè felicia eorum quæ pueri fugiũt

vel concupiſcunt, appellat: τοῖς δὴ παιδίοις τὸ δήλωμα ὧν ἐρᾷ καὶ μισεῖ κλαυθμοναὶ καὶ βοαὶ σημεῖα οὐδαμῶς εὐτυχῆ. Idem Galenus teſtatur libro 1. de ſanitate tuenda; ἅτε γὰρ (inquit) οὐδέπω λόγῳ χρώμενα τῷ κλαίειν τε καὶ κεκραγέναι, καὶ θυμοῦσθαι, καὶ κινεῖν ἀτάκτως ἑαυτά, διασημαίνει τὴν αἰτίαν. additque eum qui curam infantis educandi ſuſceperit, debere eſſe στοχαστικὸν ἀκριβῶς, *acutum conjectorem* eorum, quæ prodeſſe infanti aut nocere poſſunt; ut & ei quæ oportet præbeat, & incommoda avertat: ne in fletum & motus corporis inordinatos incidat. Nutrices igitur ſæpe, quòd hæc minùs perſpicere poſſint, in pueris placandis negotii plurimùm habere, cujuſdam exemplo declarat, quæ infantem toto die plorantem ſe ſeque implacidè jactantem, neque papilla ori inſerta, neque cunarum agitatu, aut geſtatione; aliiſque modis lenire unquam potuit: donec ipſe animadvertit grabatum infantis & involucra, veſteſque ipſas ſordidiores; ex quo intellexit plorare puerum, quòd ſe detergeri, veſteſque & involucra mutari vellet; idque ut fa-

ceret nutrix, præcepit: quo facto & puer, fletu ac motu omni deſtitit, tum ſuaviſſimè ac diutiſſimè dormivit.

Cæterùm quòd Galenus in ea hiſtoria ait *παιδίου κλαίοντος τε καὶ θυμουμένου, puero flente, & irato.* indicat pueros non ex dolore tantùm, ſed & ex ira frequentiùs plorare: ſunt enim ὀξύθυμοι, eoſdemque τὸ θυμῷ ζῆν, *ira obnoxios vivere*, notat Philoſophus ſect. 10. probl. 44. cui ſuffragatur Terentius in hecyra, & Seneca lib. 1. de ira cap. 13. Verùm cùm iidem infirmiſſimi ſint, quod poſſunt, clamore & fletu ſe vindicant. B. Auguſtinus in confeſſionibus: *& cùm mihi non obtemperabatur, vel non intellecto, vel ne obeſſet, indignabar non ſubditis majoribus, & liberis non ſervientibus, & me de illis flendo vindicabam.* Hæc magnus ille vir de infantia ſua.

Quia verò eadem eſt ſcientia contrariorum, dicendum hoc loco, quamobrem ſenibus præſertim decrepitis lacrymæ promptè oboriantur? quod in multis nos experti ſumus, qui ſi quid audirent, quod ipſis præclarum videretur, ex gaudio & admiratione lacry-

mas ſtatim fundebant; eratque ſignum iis aliquid vehementer probari, ſi flentes viderentur. Iſta autem proclivitas ad lacrymandum in ſenibus notatu digna eſt, quorum corpora annis exaruerunt: nam ſenectutem frigidam eſſe & ſiccam omnes Philoſophi & Medici fatentur.

Reſpondet Galenus 2. de temperamentis, ſiccos eſſe ſenes partium ſubſtantia, humidos redundantiâ excrementorum, quæ ob inopiam caloris nativi magnâ copiâ per univerſum corpus congerunt; quo fit ut & multùm tuſſiant, ſpuant, lacryment; nares quoque ut infantes aſſidua blenna madidas habeant; *madidi infantiam naſi* vocat Juvenalis ſatyr. 10. Ad hæc eorum corpora viribus deficientibus laxantur more veterum ædificiorum (hoc enim exemplo utitur Ariſtoteles) ὥσπερ τὰ παλαιὰ οἰκοδομήματα διεσῶσαν ἔχει τὴν τῶν μερῶν σύνθεσιν. Ideoque minùs gaudio reſiſtunt, ſed ſtatim corde laxato lacrymas effundunt.

Problema IV.

Cur proniores ad flendum feminæ.

PHilosophus lib. 9. cap. 1. hiſtoriarum de animalibus, mores feminæ deſcribens ait: γυνὴ ἀνδρὸς ἐλεημονέστερον καὶ ἀρίδακρυ μᾶλλον, i. *mulier magis miſericors eſt & magis flet.* Cui ſubſcribens Empedocles, mulieres πολυκλαύτους appellat verſibus elegantiſſimis, quos citat Simplicius 2. φυσικῆς ἀκροάσεως.

νῦν δ᾽ ἄγ᾽ ὅπως ἀνδρῶν τε πολυκλαύτων τε γυναικῶν
ἐννυχίους ὅρπηκας ἀνήγαγε κρινάμενον πῦρ
ἔκλυ', &c.

Et Pacuvius in Niptris apud Ciceronem 2. Tuſcul.

Conqueri fortunam adverſam non lamentari decet
Id viri officium eſt: fletus muliebri ingenio additus.

Hujus indolis cauſa eſt temperamentum, quod feminæ frigidius humidiuſ-

que habent: ex quo multa ſequuntur quæ ad lacrymas multas gignendas conferunt. Primum quidem animi mollities & judicii infirmitas, quâ fit ut minùs incommoda ac difficultates ferre poſſint, ſed ſtatim frangantur ac triſtitiæ ſuccumbant, propter puſillanimitatem, Vnde Hippocrates de muliebri natura ſcripſit lib. περὶ παρθενίων. ἀθυμοτέρη καὶ ὀλιγωτέρη φύσις ἡ γυναικείη, i. *genus muliebre animi magis demiſſi & puſilli*. Quin Ariſtoteles citato loco in univerſum pronuntiat feminam magis deſpondere animum magiſque deſperare : ἔστι δὲ καὶ δυσθυμότερον μᾶλλον τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος καὶ δυσελπι. Sanè Hippocrates illo libro ſæpius mulieres incidere in terrores abſurdos, quibus ſibi videantur videre Dæmones infeſtos in ſe irruentes teſtatur ; interdum etiam iis terroribus in eam deſperationem conjici, ut ſibi manus violentas afferre cogantur, ſe ſeque aut laqueo ſuffocent, aut in puteos præcipites jaciant ; qualis fuit inſania Virginum Mileſiarum, de qua Gellius ex Plutarcho in Noctibus Atticis. Ex quo

intelligitur quàm imbecilles ſint feminæ ad reſiſtendum triſtitiæ. Hinc etiam eſt, quod luctui magis indulgent, quàm viri: ſolvere comas olim in funeribus ſolitæ, pectus & genas laniare: propter quod Alceſtis Proteſilai uxor ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος ab Homero appellatur. Donec prohibitæ tandem legibus 12. tab. ne genas raderent, aut leſſum funeris ergo haberent. More enim Romanorum mulieres luctibus præficiebantur, quæ ab ea præfectura præficæ dicebantur. Quod conſiderans Plutarchus in conſolatione ad Appollonium, femineum eſſe cenſet lugere. θῆλυ γὰρ ὄντως (inquit) καὶ ἀσθενὲς καὶ ἀγεννὲς τὸ πενθεῖν. γυναῖκες γὰρ ἀνδρῶν φιλοπενθέστεραι εἰσί. Quid mirũ igitur ſi tam molles, tam infirmæ & puſillanimes multũ plorãt. Sed & idem temperamentum facit, ut ſero abundent; cui accedit peculiaris capitis conformatio, quod ipſis paucioribus diſtinctum eſt ſuturis: continentur igitur vapores, & in ſerum converſi caput humectant: unde materia lacrymarum.

PROBLEMA V.

An quis citra verum dolorem lacrymas pro arbitrio fundere poſſit.

OCCASIONEM huic quæſtioni præbent mulieres: quæ non ſolùm ex dolore, ſed & citra dolorem lacrymas emittere cùm volunt, atque oſtentare vulgò exiſtimantur: quas lacrymas Virgilius coactas appellat 2. Æneidos,

Talibus inſidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis, lacrymiſque coactis,

Coactæ autem dicuntur quia non ſponte, hoc eſt ex affectu cordis ſequuntur, ſed arte & vi vix exprimuntur; ut ait Terentius in Eunucho de Thaide,

Hæc verba, me hercule una ſalſa lacrymula,
Quam oculos terendo miſerè, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet.

Hoc δακρύειν εἰς ἐπίδειξιν vocat Achilles Tatius lib. 6. Petronius *lacrymas ad oſtentationem doloris paratas*: Ariſtenætus lib. 1. Epiſt. 10. δάκρυον ὑποκρίσεως *lacrymas mimicas*, alii aliter. Has ex viris nonnulli habent ignavi, mendaces, perfidi, qualis iſte Sinon fuit: ſed maximè mulieres, quibus viros decipere perpetuum ſtudium eſt; propter quod Ovidius negat earum lacrymis credendum,

Neve puellarum lacrymis moveare caveto,
Vt flerent oculos erudiere ſuos.

Cui ſubſcribens Iuvenalis ſat. 6. eaſdem lacrymis imperare aſſerit his verſibus,

Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor
Cùm ſimulat gemitus occulti conſcia facti;
Aut audit pueros, aut ficta pellice plorat
Vberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque expectantibus illam

Digitized by Google

Quo jubeat manare modo.

Et Gelliam Martialis ridere licet luctum ſimulantem; nec flentem niſi coram ſpectatore.

Amiſſum non flet cùm ſola eſt, Gellia Patrem;
Si quis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrymæ:
Non luget quiſquis laudari Gellia quærit;
Ille dolet verè qui ſine teſte dolet.

Quærimus itaque quomodo lacrymæ, cùm nullus in animo eſt dolor exprimi poſſint: cùm ſuprà oſtenderimus ſola contractione quàm triſtitia efficit, lacrymas ſpontaneas excuti, aut verò dilatione à gaudio. Sunt autem triſtitia & gaudium animi motus à rebus externis pendentes, non à noſtro arbitrio. Sicuti igitur affectus conſilium noſtrum non ſequuntur, ſic neque lacrymæ.

Dicendum eſt affectus duobus modis excitari poſſe: vel enim ab ipſis rebus moleſtis, aut jucundis, quas præſentes videmus aut factas accipimus, quarum exiſtimatione movemur: vel citra rerum eventus, iis imaginibus quas nobis

animo fingimus quoties libet, φαντασίας Græci vocant. Tanta eſt enim earum vis: ut qui ipſas bene conceperit, haud aliter atque ab ipſis rebus moveatur. Id qui præſtare poſſit, quidam Græcè εὐφαντασιωτὸν appellant: qui ſcilicet ſibi res, voces, actus, ſecundùm verum optimè fingit: qua in re ſummam affectuum movendorum ſitam eſſe Fabius exiſtimat. Hac ratione Hiſtriones in theatris lacrymantur, Oratores in foro, ut de ſe teſtatur idem Quintilianus: *frequenter* (inquit) *motus ſum: ut me non lacrymæ ſolùm deprehenderent; ſed pallor, & vero ſimilis dolor.* Has igitur viſiones quarumlibet rerum, cùm facilè pro arbitrio concipiant mulieres, quod in iis fortior judicio imaginatio eſt: non eſt mirum ſi & facilè dolorem aſſumant; & lacrymas ſibi quoties volunt, excutiant.

PROBLEMA VI.

Cur auditus aut lectio rerum miſerabilium lacrymas excutiat.

EX eadem cauſa eſt, quod cùm quoſdam gravia & indigna paſſos audimus aut legimus, lacrymis non temperamus: quemadmodum M. Tullius teſtatur 3. de Natura Deorum, ſe quoties Platonem legeret, Socratis morti illacrymari ſolitum. Quod & I. C. Scaligero accidiſſe locus ille indicat, in quo de facultate cicutæ diſputat nempe exercit. 153. ad Cardanum. Ibi enim teſtem citans Platonem (quòd is in Phædone Socratis mortem commemorans, quo pacto cicutæ potu extinctus ſit, refert) in hunc modum ſcribit: *quum imum ventrem refrigeſcere ſenſiſſet* (*Socrates*) *detexit ſe, atque vocem emiſit ultimam de Gallo Æſculapii: ſine dolore quidem ille, ſed non ſine noſtris lacrymis quoties eum lego locum. Sæpe enim hunc dialogum à nobis multa repetitum lectione,*

cùm incredibili arderem perlegendi cupiditate, ubi eo loci deventum eſſet, ſimul & conſilium & librum abjecimus. Item D. Auguſtinus accuſat ſe in confeſſionibus quòd Didonis mortem à Marone deſcriptam legens præ miſericordia fleret: *quid enim miſerius* (inquit) *miſero non miſerante ſeipſum, & flente Didonis mortem; quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat non amando te.* moxque addit: *& hæc* (*delicta adoleſcentiæ*) *non flebam, ſed flebam Didonem extinctam, ferroque extrema ſecutam, ſequens ipſe extrema condita tua relicto te, & terra iens in terram, & ſi prohiberer ea legere, dolerem; quia non legerem quòd dolerem.* Quæ verba tanti Doctoris cùm lego, libet illud uſurpare, è vetere comœdia, εἰ τοῦτ' ἐστ' ἀδικεῖν, ἀδικῶ; ſi hæc culpa eſt, fateor me culpam admittere. Nam & ipſe quoties divinam Æneida lego, neſcio quomodo pleriſque in locis lacrymæ mihi invitæ excidunt. Fuit enim Virgilius in affectibus movendis, præſertim illis teneris, ſuprà quàm dici poteſt, efficax; ut nec Puppio illi, cujus poëmata lacry-

moſa dixit Flaccus, quòd ea audientes flerent, meo judicio cedat.

De iis verò quæ recitantur in theatris & auditoriis, lacrymaſque auditoribus moventibus feſtivè Ion Rapſodus apud Platonem in hunc modum diſſerit: καθορῶ ἑκάστοτε αὐτοὺς (θεατὰς) ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ βήματος κλαίοντάς τε καὶ δεινὸν ἐμβλέποντας καὶ συνθαμβοῦντας τοῖς λεγομένοις. δεῖ γάρ με καὶ σφόδρ' αὐτοῖς τὸν νοῦν προσέχειν· ὡς ἐὰν μὲν κλαίοντας αὐτοὺς καθίσω, αὐτὸς γελάσομαι ἀργύριον λαμβάνων· ἐὰν δὲ γελῶντας, αὐτὸς κλαύσομαι, ἀργύριον ἀπολλύς. i. *Atque aſpicio ſemper ſupernè ab ipſo ſuggeſto & flentes, & torvum tuentes, atque his quæ narrantur ſtupefactos. & oportet me valde mentem iis adhibere. Nam ſi lacrymas excutiam, ipſe argentum ſuſcipiens ridebo: Sin autem riſum illis moveam, ipſe argentum amittens, flebo.* Eódem pertinet quod de Callipide hiſtrione narrat Xenophon in convivio, hunc impenſiùs gloriari ſolitum quòd multis lacrymas poſſet excutere: Καλλιππίδης ὁ ὑποκρίτης ὑπερσεμνύνεται, ὅτι δύναται πολλοὺς κλαίοντας καθίζειν. Proditum quoque eſt à Plutarcho Alexandrum Pheræo-

rum tyrannum, cùm aliquando ſpectaret tragœdiam, motuſque iis quæ audiret, lacrymas tenere non poſſet; è theatro confeſtim ſe proripuiſſe, ne eum flentem cives viderent, rem indignam fore dicentem, ſi qui tot cives interficeret Hecubæ & Polyxenæ ærumnis illacrymans conſpiceretur. Poſtremò Alcibiades in convivio Platonis, ſe quoties Socratem audiret, ita commoveri ſolitum teſtatur, ut lacrymas cogeretur fundere: ὅταν γὰρ ἀκούω, πολύ μοι μᾶλλον ἢ τῶν κορυβαντιώντων ἥ τε καρδία πηδᾷ, καὶ δάκρυα ἐκχεῖται ὑπὸ τῶν λόγων τῶν τούτου. Quò etiam reſpiciens Plutarchus in Catone ait, Socratem fœtum fuiſſe rerum quæ lacrymas audientibus cierent, ἔνδοθεν πραγμάτων μέτρον εἶναι δάκρυα κινουμένων τοῖς ἀκροωμένοις.

Harum igitur lacrymarum, quas nobis aut lectio aut auditus rerum vetuſtiſſimarum, nihilque ad nos attinentium excutit, cauſa eſt eadem ipſa vis imaginum quas nobis dum iſta recitantur, ob oculos conſtituimus: quibus res cum circumſtantiis omnibus tam ad verum repræſentantur, ut non abſen-

tes audire, ſed præſentes ſpectare videamur. Nec verò ea nihil ad nos pertinent, quæ antiquis temporibus acciderunt. Sic enim ad pietatem & juſtitiam facti ſumus, ut ſi quid impiè aut injuſtè vel multis ante ſæculis factum audiamus, moveamur. *Sæpe* (inquit Seneca de Ira) *Clodio Ciceronem expellenti, & Antonio occidenti videmur iraſci. Quis non contra Marii arma, & contra Syllæ proſcriptionem concitatur? Quis non Theodoto & Achillæ, & ipſi puero non puerile auſo facinus, infeſtus?* & in libro de providentia: *qui Rutilium damnaverunt, cauſam dicent omnibus ſæculis:* Eadem mente Plinius lib. 7. Syllam increpans, qui ſe felicem prædicabat, quod proſcribere tot millia civium ac trucidare potuiſſet: *O prava* (inquit) *interpretatio, & futuro tempore infelix! non melioris ſortis tunc fuere pereuntes, quorum nunc miſeremur, cùm Syllam nemo non oderit?*

Problema VII.

Cur viri boni ad flendum naturâ aptiores.

Bonos viros promptiùsquàm alios flerè ita vulgò perſuaſum eſt, ut in proverbium abierit: ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Quæ opinio fluxiſſe ab Homero videtur, qui Heroas ſuos flentes inducit.

αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
δακρύσας ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς.

Ad quem locum Euſtathius, συμπαθεῖς οἱ ἥρωες παρὰ τῷ ποιητῇ καὶ ἑτοιμοδάκρυες, καὶ ἔστιν ἀγαθοῦ ἤθους τὸ τοιοῦτον παραστατικόν. *Sunt miſericordes Heroes apud Poëtam, & lacrymas in promptu habent, eſtque hoc boni ingenii indicium.* Sic & Maro Homeri exemplo Æneam facilè facit moveri & lacrymare, ut multis locis Æneidos videre eſt. Sed & in ſacris literis Ioſephus Patriarcha conſpectu Benjamini fratris ita commovetur,

ut præ lacrymis loqui non poſſit; *feſtinavitque quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ; & introiens cubiculum flevit.* In iiſdem libris David Regum illorum optimus & clariſſimus quàm ſæpe lacrymat? quibus ſimiles multos recenſet Scriptura. In epiſtola enim ad Epheſios teſtatur Paulus ſe triennio toto noctu & interdiu pro ſingulis Epheſiis lacrymas fudiſſe; διὸ γρηγορεῖτε μνημονεύοντες, ὅτι τριετίαν νύκτα ϗ ἡμέραν ὐκ ἐπαυσάμην μετὰ δακρύων νυθετῶν ἕνα ἕκαστον ὑμῶν. Quin Chriſtum humanæ virtutis regulam ſæpius fleſſe legimus. E Cæſaribus Veſpaſianus optimus princeps damnatorum etiam ſuppliciis illacrymabat. Quid de Marco Tullio dicam? Legantur ejus Epiſtolæ; quis fletus paſſim, quæ lacrymæ? *Non queo* (inquit) *reliqua ſcribere* (*tanta vis lacrymarum eſt*) *ne te in eundem fletum adducam*, alibi: *ad te verò & ad noſtram Tulliolam non queo ſine plurimis lacrymis ſcribere.* item: *conficior lacrymis ſic, ut ferre non poſſim.* idem ad Atticum: *ac vide molliciem animi: non tenui lacrymas*, in iiſdem epiſtolis; *ploran-*

do feſſus ſum. Sexcenta alia loca prætereo, quæ mihi adhuc ejus lacrymis madere videntur. Atqui ei Quintilianus lacrymis fundendis non cedit, quarum inſigne monumentum reliquit poſteritati in præfatione libri ſexti Oratoriarum Inſtitutionum.

Dehinc iis exemplis ſuam quiſque experientiam adjungat. Ipſe complures novi optimos viros uſque ad oſtentationem flentes, qui tamen minimè ignavi erant aut ſtolidi, ſicut iſte Apollodorus, cujus meminit Plato in Phædone. Nam is quidem Socratis vicem aſſiduè deflebat, & ei muliebriter illacrymabat, ſed erat εὐήθης, hoc eſt, ſtolidus, minimè malus, quales & bonos noſtrâ linguâ vulgò appellamus. Quos autem viros commemoravi, ab ea imbecillitate adeò abfuerunt, ut partim excellenti ingenio præditos, partim pluſquam homines ex iis quoſdam fuiſſe conſtet. Quo magis mirum eſt eos id maximè habuiſſe, quod in pueris, feminis, ſenibuſque decrepitis indicium haud parvum cenſeatur imbecillitatis. Quocirca cauſa diligenter inveſtigan-

da eſt, quæ viros bonos, fortes, ſapientes, divinos, pronos ad lacrymas reddat.

Primùm ſcire oportet non omnes viros bonos ad flendum perinde faciles & promptos fuiſſe. Nam Socratem, cujus ſapientiam & probitatem antiquitas omnis demirata eſt, eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis aut turbato teſtis eſt Plinius lib. 7. ubi diverſorum morum exempla refert. Qui nec morti proximus fletus uxoris & amicorum ferre potuit, quales multos fuiſſe conſtat ἀπαθεῖς Græcis dictos, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, quos nunquam fleſſe aut riſiſſe proditum eſt. Quocirca Proclus in commentariis εἰς πολιτείαν Platonis Philoſophos eo numero eximit. Quærens enim cur Homerus ſuos Heroas φιλοδακρύας καὶ φιλοθρήνους fecerit, inter hos & Philoſophos id ſtatuit diſcrimen, quòd illi negotiis variis implicarentur, exercitus ducerent, prælia inirent, vulnerarent, vulnerarentur, amicorum funeribus intereſſent (quæ ſine ingenti animi commotione

nec fieri, nec conſpici poſſint) qui propterea ſcitè ab Homero inducantur dolore, ira, ſpe, gaudio & aliis ejuſmodi animi motibus conciti, ſæpe etiam lacrymantes. Contrà autem Philoſophi ſoli contemplationi vacent, quæ actio omnium puriſſima ſit, & ab omni affectuum perturbatione ſejuncta; itaque fletum & luctum ab eorum perſona alieniſſimum eſſe cenſet. Sed præſtat ipſummet audire loquentem: λεγομὲν τοίνυν καὶ πρὸς ταύτας τὰς ἐπιτιμήσεις, ὅτι τοὺς μὲν ἥρωας ἐν πράξεσιν ὄντας καὶ τὸν ταύταις προσήκοντα βίον ᾑρημένους ὁ ποιητὴς παραδιδοὺς εἰκότως καὶ παθαινομένους περὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστον καὶ ζῶντας ὡσαύτως, εἰσήγαγεν· τοῖς μὲν γὰρ φιλοσόφοις καὶ καθαρτικῶς ἐνεργοῦσιν ἡδοναὶ καὶ λῦπαι, καὶ αἱ τούτων, μίξεις, οὐδαμοῦ προσήκουσι· χωρίζονται γὰρ ἐκ τούτων, καὶ πᾶσαν τὴν θνητὴν φλυαρίαν ἀποσκευάζονται. Tum autem de Heroibus hæc addit: προσήκει δὲ ἄρα τὸ μεγαλουργὸν αὐτοῖς, ὡς φύσιν ἡρωϊκὴν λαχοῦσι, τὸ δὲ παθητικὸν, ὥσπερ τὰ καθ᾽ ἕκαστα στρεφομένοις. *iis magna agere convenit ob Heroicam naturam: moveri autem quòd circa res particulares verſentur.* Hæc ratio eſt Procli ab inſtituto vitæ gene-

re deſumpta; quod ſanè multùm valet ad mores inoleſcendos, ut mox docebimus. Verumtamen cùm multos conſtet à natura promptos ad flendum eſſe, eoſque utplurimum bono ingenio præditos; quærenda cauſa eſt, quæ ſit naturalis, non extrinſecùs inducta.

Veriſimile autem eſt tales maximè eſſe, qui mollem carnem habent, quos Philoſophus μαλακοσάρκους appellat, & εὐφυεῖς, hoc eſt, *ingenioſos* eſſe teſtatur 2. de anima: οἱ μὲν (inquit) σκληρόσαρκοι ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν· οἱ δὲ μαλακόσαρκοι εὐφυεῖς. molles autem carne intelligit potiſſimùm, qui cor molle habent, quod ſenſus communis, ſeu tactûs, organum & omnium functionum principium ab eodem conſtituitur. Nam cor prima eſt & præcipua omnium caro, ob idque muſculus validus ab Hippocrate appellatur, μῦς κάρτα ἰσχυρὸς οὐ τῷ νεύρῳ ἀλλὰ πλήματι σαρκός. Quòd hæc ſit mens Ariſtotelis, patet, quia hos εὐφυεῖς eſſe dicit, qui mollem carnem habent: contrà, qui duram. At ſola cordis mollitudo aut durities hæc diſcrimina ingeniorum facere poteſt, in ſententia quidem Ariſtotelis, qui men-

tem in corde collocat: cùm quæ in ambitu eſt corporis non magis eò conferat quàm cutis aut veſtimentum. Vt deſinant quidam Ariſtotelem urgere exemplo elephantorum & crocodilorum, quibus cum magna carnis extimæ duritia & cute impenetrabili, inſignis eſt, ut in beſtiis, ſolertia. Parum enim (ut dixi) refert, qualis ſit cutis aut caro, modo cor molle: quodquin ſit tale iis animalibus, minimè illa obſtat durities extimarum partium. Prætereà quibus λάσιοι τὸ κέαρ, *cor pilis obſitum* eſt (tale autem quod immodicè ſiccum & durum) hos parum acuti eſſe intellectus docet Plato in Theætero: perpetuóque obſervatum eſt improbos audaciſſimoſque fuiſſe, quibus poſt mortem apertis, cor piloſum inventum eſſet: cuiuſmodi multos extitiſſe auctores idonei teſtantur: unde Nonnii verſus lib. 26. Dionyſ.

τοῖσι ἐπὶ κραδίῃ λασίαι τρίχες, ὧν χάριν αἰεὶ
ψυχῆς θάρσος ἔχουσι ϛὲ ὑ πλώσουσιν Ενυώ.

Vt igitur cordis duritia & ſiccitas truces & efferos facit; ſic mollities hu-

manos, miſericordes, lacrymas facilè fundētes. Quod enim molle eſt, faciliùs pati & moveri poteſt: contrà durum inflexibile eſt. Mea igitur ſententia eſt bonos promptiores ad flendum eſſe, quia cor mollius habent: quod enim tale eſt, ubi quid triſte accidit, citiùs magiſque contrahitur; qua contractione lacrymas exprimi. ſuprà monſtratum eſt. Quid multa? omnes Docti pariter & Indocti eum duro eſſe corde prædicant, qui flere non poteſt: ceu cordis mollitie propenſi fiant homines ad flendum. Hinc Dido apud Maronem Æneæ ſuccenſens, quòd fletu ipſius non ingemuiſſet, nec lacrymas dediſſet, Caucaſo editum, hoc eſt ſaxeum vociferatur,

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanaque admorunt ubera Tigres.
Nam quid diſſimulo? aut quæ majora reſervo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?

Num lacrymas victus dedit; aut miſeratus amantem eſt?

Eadem mente Horatius in. 1. Carminum, eum cor ære multo & robore obſeptum habere dicit, qui ne in extremis quidem periculis ploret,

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem, &c,

Poſtea addit,

Qui ſiccis oculis monſtra natantia
Qui vidit mare turgidum, &c.

Et in loco à nobis citato Iuvenalis apertè lacrymas cordis mollitudini adſcribit:

molliſſima corda
Humano generi dare ſe Natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit,

Hæc de cauſa naturali, cui ſi certa ratio vivendi atque animi cultus acceſſerit, pronior adhuc ad flendum homo efficietur, quoniam, ut inquit, Ovidius,

ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quod & confirmat Cicero lib. 12. epiſtola 236. ad Atticum, excuſans ſe quòd in illa literarum felicitate mœrori in-

dulgeat: *quid ergo, inquies, nihil litera? In hac quidem re vereor, ne etiam contrà: nam eſſem fortaſſe durior; exculto enim animo nihil agreſte, nihil inhumanum eſt.* Id quoque veriſſimum puto quod ſcribit Vives 3. de anima: ut quiſque ſe ſe amat tenerrimè, maximiſque cenſet eſſe bonis dignū, ita eſſe ad ſui miſerationem promptiſſimum, atque indè lacrymari ad imaginationem mali. Cùm ergo boni viri & docti ita erga ſe animati ſint, ut pote ſibi ſuarum virtutum conſcii, non mirum eſt ſi promptè lacrymantur cùm quid eis gravioris incommodi immeritis contigit. Et hoc fuiſſe arbitror, propter quod M. Tullius in exilio tot lacrymas fudit, quod quid Reipublicæ præſtitiſſet, meminiſſet; ſe autem ab ea urbe quam ſervaſſet, ab impuriſſimis hominibus pulſum videret. Quod ergo Proclus loco ſuprà allato Philoſophorum eſſe negat lugere aut flere, de iis intelligendum eſt qui ſe ab omni prorſus ſocietate civili abdicarunt, & nimio contemplationis ſtudio humanitatem exuerunt.

Cæterùm non me fugit quoſdam ho-

mines crudeliſſimos, immaneſque Tyrannos id quoque habuiſſe, ut facile flerent: quemadmodum de Sylla Dictatore prodit Plutarchus, & de BaſſianoCæſare Spartianus in Geta, qui fratris quem intereme rat, quoties nomen audiret, flere ſolebat. Sed exiſtimandum eſt eos à natura bonos fuiſſe, fortunæ autem indulgentia & prava conſuetudine corruptos atque efferatos, quæ Plutarchi eſt ſententia de Sylla, ut ex his ipſius verbis patet: ἔπι δὲ καὶ φιλόγελως ἐκ νέου γενόμενος, καὶ πρὸς οἶκτον ὑγρὸς, ὥστε ἐπιδακρύειν, εἰκότως προσετρίψατο ταῖς μεγάλαις ἐξουσαις διαβολὴν. ὡς τὰ ἤθη μένειν οὐκ ἐώσαις ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς τρόπων, ἀλλ' ἔμπληκτα, καὶ χαῦνα, καὶ ἀπάνθρωπα ποιούσαις. Cùm itaque is peſſimus evaſiſſet, nihilominùs tamen miſericordia movebatur, & promptè flebat: quod natura vitiari quidem poſſit, non tamen in totum exui, quam ſi (inquit Horatius) expellas furca, tamen uſque recurret. Quæ & ſententia Pindari eſt cùm ait: ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος.

PROBLEMA VIII.

De iis qui flere non poſſunt.

VT quidam multùm flent, ſic nonnulli pumiceos oculos habent, quos non queunt lacrymam exorare, ut expuant unam modò. Quorum ſcilicet genus ſemper ſiccoculum fuit: qualem ſe eſſe fatetur Pſeudolus apud Plautum. Hoc inter pravæ naturæ inſignia receſet Plin. l. 7. c. 19. ſicut nunquam ridere, nunquam expuere, nunquam ructare: &(quod de Nerone proditum eſt) nunquam ſomniare. Attamen Phocionem Athenienſem nunquam riſiſſe aut plorasſe teſtis eſt Plutarchus in ejus vita: φωκίωνα γὰρ (inquit) οὔτε γελάσαντά τις οὔτε κλαύσαντα ῥαδίως Ἀθηναίων οἶδεν. conſtantia id facere poteſt & lõga conſuetudo, ut in Socrate & pleriſque aliis qui boni viri fuerunt, ſicut iſte Phocion. Nam idem Plutarchus auctor eſt Corneliam Gracchorum matrem quibuſdam Peregrinis ſciſcitantibus, ut fit, de

morte filiorum, rem omnem ſiccis ocu-lis narraſſe, itaut quidam ſecus quàm decuit, interpretati, ſcripſerint non la-crymaſſe hanc quòd ipſius animus ſene-ctute, & magnitudine malorum obſtu-puiſſet. Multùm etiam eò propoſitum confert. Nam qui animum induxerunt, nunquam re ulla moveri, ut de Stoïcis accepimus, non mirum eſt ſi iſti ne la-crymant quidem. Hinc *ἀπάθεια vacui-tas affectuum* illis tantopere celebrata, ſeu (ut Plinius definit) *rigor quidam & torvitas, natura dura & inflexibilis, in quam hic animi tenor & conſtantia aliquan-do exit.*

Quod ſpectat ad cauſam naturalem, ea ſatis ex præcedenti diſputatione per-ſpici poteſt. Quemadmodum enim ut quis multùm ploret, mollities cordis fa-cit; ſic ejuſdem durities contractioni contumax maximum eſt fletus impedi-mentum. Hinc ſiccis & duris corpori-bus homines vix plorant, Placentinus calvos numquam lacrymari ſcripſit, iis ut faciliùs exiſtimet dentem excutere quàm unam modò lacrymulam: nimi-rum quia ſicci ſunt. Fiunt enim calvi pro-

propter cerebri conſumptionem, ex Hippocrate 6. Epidem. ἡ ἐγκεφάλου ἀνάλωσις διὰ φαλακρότης. cerebri autem conſumptio à calore inſigni humidum reſolvente; qui calor à corde eſt. Vnde & iis multo magis cor ſiccum & durum. Atque hæc ratio ita accipienda eſt; ut id fieri utplurimùm credamus non ut ſemper & neceſſariò. Non enim dubito quin multi reperiantur calvi qui facilè fleant; & quoſdam ipſe novi. Ex Antiquis etiam Iulium Cæſarem Dictatorem & calvum,& pronum ad lacrymas fuiſſe accepimus: qui, teſte Suetonio, quondam in caſtris pro concione fidem militum flens ac veſte à pectore diſciſsâ, adversùs inimicos invocavit: & viſo Pompei inimici capite lacrymas dediſſe dicitur.

PROBLEMA IX.

Quomodo fletu leniatur dolor.

QVi vehementer dolent, ſi lacrymas fundant, levari dolorem ſentiunt, & variis Auctorum locis proditum eſt. Ovidii verba ſunt in 9. Metam.

Flendoque dolorem
Diffudit miſeranda ſuum.

Item:

Depletur lacrymis, egeriturque dolor.

Id quoq; Seneca teſtatur ep. 99. *excidunt* (inquit) *etiam retinentibus lacrymæ, & animum profuſæ levant.* Seneca Pater controu. 1. lib. 10. *plerumque omnis dolor per lacrymas effluit.* Idem & Plutarchus libello quem de ira cohibenda ſcripſit: αἱ δὲ (inquit) τοῖς πενθοῦσιν ἐφέσεις τοῦ ἀποκλαῦσαι καὶ ἀποδύρεσθαι, πολύ τι τῆς λύπης ἅμα τοῖς δακρύοις συνεξάγουσιν. Id ſolatium eſt, quod Natura afflictis omnibus paratum eſſe voluit, ut quaſi miſeriam ex animo expuant hoc modo. Propter quod crudeliſſimi tyranni

cùm reliqua adimant ſolatia, lacrymas tamen, & gemitus relinquunt. Quo quidem M. Tullius Piſonis immanitatem amplificat in vehementi illa in eum invectiva, nec minùs eleganti: *Quis hoc (inquit) facit ulla in Scythia Tyrannus, ut eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia: eripis lacrymas non conſolando, ſed minando:* Quòd autem fletus remedium ſit doloris, aut certè προφυλακτικὸν, hoc eſt, auxilium, quo à pernicie doloris incluſi præſervantur vehementiùs dolentes, eorum exemplis ſciri poteſt, qui cùm fletum pudore aut metu compreſſiſſent, partim in morbos graves inciderunt, partim repentè ſuffocati ſunt. Cujus rei exemplum domeſticum affert Cardanus lib. 12. de Subtilitate, his verbis: *Soror matris meæ Tomaxina, cùm conjugem & duos filios ac filias totidem peſte amiſiſſet, & neque flere aut lamentari ex more voluiſſet, verecundia Sorbrii patris mei, viri gravis & aſperi, repentè magno edito crepitu diſrupta intus mortua cecidit.* Deinde addit: *alios ſcio qui febre pernicioſa ob luctum fratris diſſi-*

mulatum correpti, brevi interiere. Idem, ut res optimè cedat, ex luctu cohibito præmaturam ſequi canitiem eodem loco aſſerit. Hæc autem pericula tribus præſidiis averti docet, ſuſpiriis, lacrymis, ineditâ; quibus ſe vſum feliciter in morte uxoris teſtatur. Idem lib. de vita propria cap. 50. lacrymas medicinam eſſe doloris pronuntiat. Nunc quid fletus corpori afferat, propter quod dolor levetur, explicandum eſt. Primùm per ſuſpiria exploduntur fuligines, quas circa cordis ſedem triſtitia collegerat. Deinde per oculos, collectum ſerum quod in ſanguine magis ex compreſſione incaluerat, vacuatur: quibus quidem rebus & corpus levius, ſpirantiuſque redditur, tum eæ partes, quas vehementiùs triſtitia conſtrinxerat, ex iis anguſtiis ad priſtinam reducuntur æquabilitatem, ut eodem loco Cardanus aſſerit. Quamquam dubitari poteſt, an corporis relaxatio lacrymarum profuſionem ſequatur: An potiùs cùm primùm ab iis anguſtiis laxari incipit, lacrymæ erumpant. Hoc poſterius hinc defendi poteſt, quod pri-

mo inſultu doloris ac ſumma contractione homines ceu ſtupidi, neque lacrymas neque vocem emittere poſſunt, quemadmedum Poëta ingenioſus ſcito advertit verſibus quos de Hecuba fecit 13. Metam.

Obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrymaſque introrſus obortas
Devorat ipſe dolor, duroque ſimillima ſaxo
Torpet.

Id enim vult: Hecubã vehementia doloris ita obtorpuiſſe ac diriguiſſe, ut cũ motus eſſet humor intrinſecus paratuſque ad fluendum, ob nimiam compreſſionem exire non poſſet: Ceu interdum accidit, ut non ſtatim à vulnere inflicto ſequatur ſanguis, ac qui ab apro, exempli gratiâ, percuſſus fuit, quærat aliquandiu vulnus, quod ſtatim cum ſpiritu exterrito introrſum confugit, cui tempore opus eſt ad prodendam plagæ ſolutionem. Primùm igitur quædam apparet ceu linea alba vulneris prænuntia; dehinc non multò pòſt ſanguis confertim fluit. Hæc ſi-

militudo eſt Achillis Tatii, qua explicat hanc cunctationem lacrymarum poſt primum doloris ictum: ita enim cenſet animum telo doloris ictum atque exterritum non continuò vulnus aperire, aut lacrymas promere, quinimo longè eas ab oculis intrò compellere: donec penetrans ipſe ſubiensque intrò per ſpecies imaginationis quas ſpiritus vehunt, cor momorderit: tunc adeò animæ vulnus hiſcere, foresque lacrymarum in oculis patefieri, quas & ſanguinem animæ congruenter D. Auguſtino appellat. Libet autem ipſa ejus verba adſcribere ob eximium tum linguæ, tum ipſius Auctoris leporem: ὥσπερ γὰρ ἐν ταῖς τοῦ σώματος πληγαῖς, οὐκ εὐθὺς ἡ σμῶδιξ ἐπανίσταται, ἀλλὰ παραχρῆμα μὲν οὐκ ἔχει τὸ ἄνθος ἡ πληγὴ, μετὰ μικρὸν δὲ αἰέθορεν· καὶ ὀδόντι συός τις παταχθεὶς εὐθὺς ζητεῖ τὸ τραῦμα καὶ οὐκ οἶδεν εὑρεῖν, τὸ δ' ἔτι δέδυκεν, καὶ κέκρυπται κατειργασμένον χολῇ τῆς πληγῆς τὴν τομήν. μετὰ ταῦτα λευκή τις ἀνέστειλε γραμμὴ πρόδρομος τοῦ τραύματος· χρόνον δὲ ὀλίγον λαβὼν ἔρχεται καὶ ἀθρόον ἐπιρρεῖ. οὕτω καὶ ψυχὴ παταχθεῖσα τῷ τῆς λύπης βέλει τε-

τετρῶσθαι μὲν ἤδη καὶ ἔχει τὴν τομήν, τοῦ λόγου τοξεύσαντος· ἀλλὰ τὸ τάχος τοῦ βλήματος οὐκ ἀνέῳξεν ὕπω τὸ τραῦμα, τὰ δὲ δάκρυα ἐδίωξε τῶν ὀφθαλμῶν μακραί. δάκρυον γὰρ τὸ αἷμα τραύματος ψυχῆς, ὅταν ὁ τῆς ψυχῆς ὀδοὺς κατὰ μικρὸν τὴν καρδίαν ἐκφάγῃ, καταῤῥήγνυται μὲν τῆς ψυχῆς τὸ τραῦμα, ἀνέῳκται δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡ τῶν δακρύων θύρα. τὰ δὲ κατὰ μικρὸν ἐξ αἰοίξεως ἐξεπήδησεν.

PROBLEMA X.

Vnde flendi dulcedo.

MIRVM alicui videri poſſit in magno mœrore locum eſſe poſſe voluptati, eamque admiſceri fletibus quos triſtitia exprimit. Sed non eſt novum aut inauditum rebus triſtiſſimis aliquid lætum intervenire, ſicut lætiſſimis quidpiam triſte obrepere ſolet. Iuxta illud Apulei 3. Florid. *Sed verum verbum eſt profectò quod aiunt: nihil quicquam homini tam proſperum divinitus datum, quin ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis: ut etiam in ampliſſi-*

ma quaque lætitia ſubſit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis. Vbi uber, ibi tuber. In lacrymas verò rem triſtem, propterea cadit voluptas, quòd natura quæ bona eſt, & ſemper bonum quærit, ut ſibi cognatiſſimum, diu ſub mali imperio eſſe non poſſit, quin ſubinde bonum accerſat ſive verum, ſive apparens, quo dolorem fallat. Hæc cauſa eſt propter quam inopiæ, labori, ærumnis aſſueſcunt homines: nullum ut ſit vitæ genus tam aſperum, quin tandem conſuetudine jucundum reddatur. Quod multarum gentium exemplo oſtendi poteſt, quæ triſtiſſimis locis, ac ſteriliſſimis degunt, pæne ſub ipſo Septemtrione inter nives & glacies, quarum nulla tamen ſuum cœlum mitiori velit commutare: unde Seneca lib. de Providentia, de iis verba faciens ita concludit: *nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit: paulatim enim voluptati ſunt quæ neceſſitate cœperunt.* Quin exiſtimo vel ipſis Damnatis (ſi fas dicere) aliquam in æternis ſuppliciis eſſe voluptatem; alioqui eſſe non poſſent. Nam Dæmones

quidem homines, quos poſſunt, corrumpendo, ac de ipſis triumphando, invidiam ſuam & crudelitatem oble-ctant; tum aris & ſacrificiis infidelium gaudent, quia ſuperbiſſimi ſunt: vel maledicendo Deum, cui ſuperbiæ pœnas dant ſempiternas, ſuum explent furorem, ſe ſeque quomodo poſſunt ulciſcuntur: quod licèt miſerum eſt, tamen peſſimis dulce eſt. Reliqui autem Damnati eâdem miſerâ maledicendi voluptate fruuntur: tum in ſcelerum ſuorum auctores aut conſcios, pœnarumque ſocios furiosè debacchantur, & hac qualicùmque ultionis imagine ſupplicia utcumque leniunt. Sunt nimirum & mala mentis gaudia, in conſceleratis & impiis hominibus, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, ut dicitur in libro Proverb. cap. 2. Quæ cur in damnatis aliquando eſſe non poſſint, non video: præſertim, cùm ita in peccandi propoſito confirmati dicantur, ut pœnitere nunquam poſſint. Sed nimis multa de his; revertor eò, unde digreſſus ſum. Nullum eſſe apud nos dolorem ſince-

rum, omniſque expertem voluptatis, aut certè quem non proximè excipiat voluptas, oſtendit Plato in Phædone. Vbi Socrates ſtatim poſt ſolutos compedes crus manu perfricans utque dolori voluptas ſucceſſiſſet, philoſophicè admirans amicos ſic alloquitur; *Quàm mira videtur, ô viri, hæc res eſſe quam nominant homines voluptatem, quámque miro naturaliter ſe habet modo ad dolorem ipſum qui contrarius videtur, quippe cùm ſimul homini adeſſe nolint, attamen ſi quis proſequitur capitque alterum, ſemper ferme alterum accipere cogitur, quaſi ex eodem vertice ſint ambo connexa.* & mox; *Cùm hæc Deus pugnantia reconciliare vellet, neque poſſet, in unum eorum apices conjunxit?* Hæc Plato eo loco, qui tamen in Philebo non ſolùm hæc componi verticibus, ſed & miſceri fatetur; affertque illud vulgatum πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον, & explicat; tum eam mixturam moleſti & jucundi ξύςασιν ἀγρίαν appellat, Horatius poſtea *Iugum aheneum*, *& ſævum jocum* dixit in 1. Carminum. Quò & illud ſpectat de amore ſcriptum ab eodem in Timæo: δεύτερον δὲ ἡδονὴ καὶ λύπῃ

μεμιγμένον ἔρωτα. Non ergo abſurdum videri debet, ſi & luctibus lacrymiſque aliquid dulce intervenit, poſtquam præſertim id plerique præſtantiſſimi Auctores teſtantur. Hom. quidem 4. Od. ſic loquentem inducit Menelaum:

ἀλλ' ἔμπας πάντας μὲν ὀδυρόμενος καὶ ἀ-
χεύων
πολλάκις ἐν μεγάροισι καθήμενος ἡμετέ-
ροισι,
ἄλλοτε μέν τε γόῳ φρένα τέρπομαι.

Et 11. ejuſdem operis,

ὄφρα καὶ εἰν ἀΐδαο φίλα περὶ χεῖρε βαλόντε
ἀμφοτέρω κρυεροῖο τεταρπώμεσθα γόοιο.

Tum eodem ſenſu hunc ejuſdem verſum accipit Philoſophus 1. Rhet.

ὣς φατο· τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε
γόοιο.

Eòdem ſpectant hæc Senecæ verba, in conſolatione ad Marciam: *Quemadmodum omnia vitia penitus inſidunt, niſi dum ſurgunt oppreſſa ſint: ita quoque hæc triſtia, & miſera, & in ſe ſævientia ipſa noviſſimè acerbitate paſcuntur, & fit infelicis animi prava voluptas dolor.* His accedit D. Auguſtinus ita ſcribens in Confeſſ. *Solus fletus erat dulcis mihi, & ſuc-*

ceſſerat amico meo in deliciis animi mei; ubi & admiratur & quærit: unde (inquiens) ſuavis fructus de amaritudine vitæ carpitur, gemere, & flere, & ſuſpirare & conqueri?

Nunc cauſa reddenda eſt. Arbitratur Placentinus, quia corpus priùs compreſſum & propè ſuffocatum laxatur, exiſtere illam voluptatem vel maximam: qualem ſcilicet alvi excrementorum expulſio, & mictio, cùm magna urget neceſſitas, affert. Verùm neceſſitas flendi nunquam tantum oculis dolorem infert, ut lacrymarum profuſio ullam voluptatem, quæ quidem ſenſu percipiatur, pariat. Non enim neceſſe eſt quæcumque juvant, ea ſenſui jucunda eſſe: cùm ex his multa ne ſenſum quidem moveant, ut expulſio excrementorum per inſenſilem tranſpirationem: cerebri expurgatio per narium meatus, palati, oculorum. Quippe hæc non priùs ſentitur, quàm pituitoſa excrementa ad eas partes pervenerunt; priori tempore inſenſilis eſt. Quid de fellis veſicula dicam? cujus motum quo ſe in inteſtina exonerat, quis un-

quam ſenſu percepit? Omnes igitur ejuſmodi expulſiones excrementorum citra ullum ſenſum fiunt. Sudoris portò & lacrymarum profuſio, etſi ſenſum movet, attamem leviter admodum, & potiùs morſum ab humoris acrimonia inducit, quàm voluptatem: immo ſenſum potiùs contriſtat, quàm mulcet. Denique teſtes appello omnes, quicumque flerunt (vix autem quiſquam, qui non flerit) An cui unquam is lacrymarum exitus voluptati fuerit? Non igitur in ſenſu, ſed in animo eſt illa voluptas, quòd nimirum dum aliquem lugemus, eum pectore infixum habeamus, tum ejus dicta & facta recordemur: quarum rerum ùtpote olim cariſſimarum jucunda eſt nobis recordatio. Ita hanc queſtionem ſolvit Philoſophus l.1.Rhet. καὶ ἐν τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις ἐπιγίνεταί τις ἡδονή· ἡ μὲν γὰρ λύπη ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν· ἡδονὴ δὲ ἐν τῷ μεμνῆσθαι καὶ ὁρᾶν πως ἐκεῖνον καὶ ἃ ἔπραττε, καὶ οἷος ἦν. Similem ſententiam poſuit Seneca imò verba Ariſtotelis prorſus expreſſit epiſtolâ 99. *Alia ſunt* (lacrymæ) *quibus exitum damus, cùm memoria eorum quos amiſi*

mus retractatur: & ineſt quiddam dulce triſtitiæ, cùm occurrunt ſermones eorum jucundi converſatio hilaris, officioſa pietas; tunc oculi velut in gaudio relaxantur. Hanc ipſam luctibus admiſtam voluptatem in Andromache intelligimus cùm Aſcanii conſpectu in memoriam Aſtyanactis filii revocata ait,

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago!
Sic oculos ſic ille manus, ſic ora ferebat:

Quibus verſibus doctiſſimus Poëta verba illa ex ſuperiori ſententia Ariſtotelis, καὶ οἷος ἦν pulchrè illuſtravit.

Non eſt autem reticenda ratio D. Auguſt. qua hanc ipſam difficultatem explicat: acuta enim eſt, & tanto ingenio digna; *rem eſſe amaram fletum, ſed tamen tunc præ faſtidio rerum quibus fruebamur, & tunc dum ab eis abhorremus, delectabilem eſſe.* Nempe (ut id apertiùs dicam) quia nobis cariſſima quapiam perſona orbatis res aliæ omnes vehementer diſplicent, faſtidioque ſunt, fit ut illius faſtidii comparatione jucundus ſit fletus.

Poteſt & alia cauſa afferri, eaque magis univerſalis, quòd nimirum cùm

magno in mœrore ſumus, quælibet motio exterior corporis juvet, dum mentem à rei moleſtæ contemplatione abducit. Vnde mœrentibus locorum mutationes ac peregrinationes proſunt: nec eæ ſolùm, ſed & certi membrorum motus; tum autem pectoris & lacertorum planctus, volutationes in pulvere & alia ejuſmodi, quæ luctus furor imperat; quoniam iis motibus ſpiritus à ſede animi revocantur ad extremas corporis partes: quo fit ut non æque animus rerum moleſtarum imaginibus intentus eſſe poſſit. Cùm igitur fletus motus ſit corporis, quippe excretio ſeroſi humoris, meritò ei, cùm maximè triſtamur, libenter indulgemus.

PROBLEMA XI.

An fletus ſine voce eſſe poſſit.

PROPONIT hanc queſtionem Manelphus non ſanè difficilem ad explicandum: cùm multos flere tacitos experientia doceat, & ratio inſuper de-

monſtret. Lacrymæ etenim contractionis vi, ut diximus, exprimuntur: eſt autem hæc contractio neceſſarius triſtitiæ motus, & cohiberi non poteſt; unde & invitis nobis lacrymæ erumpunt. At vox omnino arbitraria eſt, ictus videlicet aëris à motu muſculorum laryngis, qui à voluntate pendet. Cùm igitur voluntarium & neceſſarium genere differant, diverſaque genere habeant principia; indubitanter aſſerendum eſt & fletum ſine voce, & vocem ſine fletu eſſe poſſe; quicquid in contrarium obſtrepat doctiſſimus Cagnatus, qui in hac re hallucinatur. Non tamen inficior plerumque hæc duo conjungi, maximè in pueris, & mulierculis, quæ dolori liberiùs indulgent; ſed hinc non ſequitur naturalem eſſe fletus & vocis connexionem, licèt fortaſſe tunc ad vociferandum adſit proclivitas, propter contractionem ſpiritus, quæ ad utramque actionem confert. Nam & plerique cùm plorãt, ἐπιλαμβάνονται τῶν ὀφθαλμῶν, *oculos manibus attingunt*: ita enim Ariſtoteles lib. 3. Reth. cap. 16. & ante eum Homerus, id quoque animaduertit

num

anum flentem deſcribens:

Ὡς ἄρ' ἔφη γρηῦς δὲ κατέσχετο χερσὶ πρόσωπα.

Nec tamen ideo quiſquam dicat hunc manuum motum ita eſſe fletui conjunctum, ut ſine ipſo fletus eſſe non poſſit.

PROBLEMA XII.

Cur nonnullis dolor ſine lacrymis.

DIXIMVS quidem ſuprà quoſdam nunquam flere, & cauſas aſſignavimus: Verùm quia citra hanc peculiarem indolem conſtat, magnam interdum triſtitiam ſine fletu eſſe, in iis qui alioqui plorant; cauſa & hujus eventus inveſtiganda eſt. Reſpondet ex Cœlio Manelphus, eum dolorem unde omnis ſpes abeſt, nullas lacrymas fundere: quòd qui ejuſmodi eſt, viam intercludat fumis, qui ad fletum excitandum neceſſarii ſunt. Addit nonnullis ductus ita eſſe anguſtos, ut humorem non tranſmittant, oculos præterea propter

Digitized by Google

duritiem, fumorum morſum non ſentire. Quibus rationibus omiſſis, quæ aut fictitiæ ſunt, aut extra quæſtionem (oculorum enim duritia aut meatuum anguſtia à natura eſt, non ab eventu; quem hîc ſpectamus) dicendum eſt, triſtitiam interdum eſſe tantam, ut naturam veluti obſtupefaciat, & facultatum uſum prorſus adimat. Vnde qui ſummo afficiuntur dolore, non modò non lacrymant, ſed nec vocem aut gemitus, ac ne ſuſpiria quidem emittunt. ſtant, aut jacent immobiles ſicut lapis, ut iis verſibus quos ſuprà adduxi, dicit Ovidius;

Lacrymaſque introrſus obortas
Devorat ipſe dolor, duroque ſimillima ſaxo
Torpet.

Sunt & Pacuvii verba in Peribœa, eódem ſpectantia:

Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.

tum Senecæ in Hippolyto:

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.

Neque aliò ſpectare arbitror fabulam Niobes in ſaxum converſæ, quàm ut is ſtupor quem triſtitia extrema inducit,

intelligatur. Sed & illud notandum eſt, quod Apuleius doctè advertit 1. Metamorph. *Naturaliter quoſdam affectus in contrarium provenire: nam ut lacrymæ ſæpicule de gaudio prodeunt; ita & in illo nimio pavore riſum nequivi continere.* Verba ſunt Ariſtomenis cujuſdam quem ibi inducit loquentem. Quòd autem & ex dolore ingenti interdum riſus oriatur, Iugurthæ Numidarum Regis exemplo oſtenditur: quem refert Plutarchus, cùm poſt triumphum (à Mario enim in triumphum ductus fuerat) in barathrum compingeretur, ſtuporis plenum, retectis ridentis in morem dentibus, dixiſſe; Iuppiter, ut veſtrum balneum frigidum eſt: ὠσθεὶς δὲ γυμνὸς εἰς τὸ βάραθρον κατεβλήθη μάτος ἂν ταραχῆς ἐκ διαστοπρὼς Ἡράκλεις, εἶπεν, ὡς ψυχρὸν ὑμῶν τὸ βαλανεῖον. Ad eum modum in ſummis doloribus alienata mente ita non lacrymant homines, ut riſus interdum, qui fletui contrarius, ſpeciem præbeant.

Problema XIII.

Cur loquentibus lacrymæ erumpunt, quæ antè non prodibant.

Tristitia contractio eſt corporis ab imaginatione rei lædentis, ut ſuprà abunde oſtenſum eſt: qua contractione lacrymæ exprimuntur: conſequens igitur, ut quo intenſior eſt imaginatio, eo major fiat contractio, atque uberiùs proinde lacrymæ erumpant. Cæterùm vox imaginationem præcipuè excitat, animumque in rei moleſtæ conſiderationem intendit, ut patet conſideranti, quid interſit inter ea quæ leguntur, & quæ audiuntur. Multò enim magis audita nos quàm lecta afficiunt, præſertim ſi ab homine facundo rectè pronuntientur: *Multò magis* (inquit Plinius Epiſt. 27. lib. 2.) *ut vulgò dicitur, viva vox afficit. Nam licèt acriora ſint, quæ legas, altiùs tamen in animo ſedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis adfigit.*

Quin orationes quas Demoſthenis aut Ciceronis habemus, nihil ſunt, præut id quod erant, cùm ab iis præſtantiſſimis oratoribus pronuntiarentur. Tunc enim vivebant: nunc in libris, eloquentiæ eorum vix cadavera habemus. Dolentes igitur cùm tacent, ſimiles ſunt legentibus: ſpecies quippe animo conſignatas vident. Iidem cùm caſus ſuos enarrant, ſibi ipſi actores & auditores fiunt ęrumnarum ſuarum; atque ita propria voce dolorem ſuum accendunt; hinc lacrymæ.

PROBLEMA XIV.

Cur flentium acutior vox, ridentium gravior.

ACVTIOREM eſſe vocem flentibus, præter experientiam declarat illud in Coac. prænot. cap. 11. text. 13. ἡ ὀξυφωνίη κλαυθμώδης. Ac ſi τὸ κλαυθμώδης differentia ſit ὀξυφωνίης. Imprimis verò confirmat Ariſtoteles, qui ter hoc problema repetit in quæſtioni-

bus naturalibus, ubi de voce diſputat: cujus ut ſolutio habeatur, primùm animadvertendum eſt, quomodo vox acuta aut gravis efficiatur. Arbitratur Ariſtoteles vocem acutam fieri, cùm parum aëris celeriter per arteriam fertur; gravem cùm multùm & tardè. Icciroo pueros, feminas, eunuchos, ægrotos acutiorem emittere vocem: quòd virtus eorum debilis non multùm aëris impellat: parva autem aëris quantitas, citiùs quàm magna impelli poſſit. Ob hanc adeò cauſam flentium vocem eſſe acutiorem, quòd eorum calor à triſtitiâ minuatur. In quo quidem Aponenſis, qui Conciliator vulgò appellatur, haud immeritò dubitat, commentario ad probl. 13. ſect. 11. in quo hæc quæſtio proponitur. *Quoniam* (inquit) *ut ſe habet virtus debilis ad exiguum ſpiritum, ita ſe habet valida ad multum: eadem enim proportio moventis ad motum. igitur ut virtus debilis exiguum ſpiritum celeriter movet, ita & valida multùm æquè celeriter movere debet.* Solvit idem Aponenſis: quia reliqua haud reſpondent. Nam etſi triſtitia refrigerando debilitat,

ideoque exiguus movetur aër: tamen alio modo motum adjuvat: quia conſtringens arteriam intendit, lævis præterea ut ſit intus, ſuperficiei condenſatione efficit. Quocirca celeriter aër tranſit via inoffenſa gradiens, & tenſio inſtrumenti aërem repellens motum celerat. Contrà in riſu remiſſa illa ſunt, quæ in triſtitia intenduntur; ſpirituſque calidus arteriæ ſuperficiem laxans obſtat lævitati; nec ita impetu ob raritatem ferri poteſt. Vnde licèt eadem ſit proportio moventis ad motum, tamen non eſt par contentio aut lævitas arteriæ, quam ad motus celeritatem facere palam eſt.

Hæc ſolutio eſt Aponenſis; quæ in eo deficit, quod non ad omnem acutam vocem accommodari poteſt. Pueri enim & feminæ acutè quoque ſonant, & tamen arteria iis non intentior, nec lævior quàm adultis & maribus, ſed è contra: ſunt enim humidiores. Tauri calidiſſimi ſunt, ſpiritumque calidiſſimum emittunt & tamen acutum mugitum edunt. Quare paulò aliter hanc rem cenſeo explicandam ac fecit Ari-

ſtoteles. Concedo quidem velocitatem acumen eſſe in voce, ſicut ſtatuit. 5. de generatione animalium,& contrà tarditate aëris moti fieri gravitatem; ſed quod addit velocem eſſe motum, quia parum aëris moveatur, tardũ quia multùm, id per ſe (meo quidem judicio) non facit ad vocis acumen aut gravitatem, ſed tantùm per accidens. Non ſemper enim hoc modo efficiuntur ejuſmodi differentiæ; ut taurorum exemplo intelligi poteſt, qui vaccis aut vitulis acutiorem vocem habent, licèt multo plus aëris impellant, utpote calore ac viribus longè ſuperiores. Habent autem acutiorem, quia eandem aëris molem pro magnitudine virium celeriùs impellunt: eadem quippe moles à prævalido movente citiùs, ab imbecilliore tardiùs movetur. Sola igitur celeritas aut tarditas motus, cauſa eſt per ſe acutæ aut gravis vocis, aliæ per accidẽs. Celeriter enim fertur, aut quia exiguus eſt aër, aux quia motrix facultas valida: ut contrà tardè movetur, aut quia magna eſt quantitas reſpectu moventis, aut quia movens imbecil-

lum. Meatûs autem amplitudo, aut anguſtia eatenus ad vocis acumen, aut gravitatem confert, quatenus impulſio aëris per amplum meatum non ita vehemens ac per anguſtum, quia magis diffunditur: unde ampliora organa graviorem ſonitum reddunt. Sed hoc per accidens, quatenus ſpatium nactus aër, atque ampliter diffuſus, motu languidiore fertur.

Acutior igitur flentium vox, quia aërem per arteriam celeriter movent: movent autem celeriter, non quia is exiguus ſit, aut qui flent, triſtitiâ debilitentur, nec plùs aëris movere poſſint, ut putat Ariſtoteles; ſed contrà quia calore intus aucto ob compreſſionem, multiſque fuliginibus collectis, vehementiùs expirare coguntur: quo fit ut aërem internum majore impetu ad arteriam propellant. Accedit tenſio & anguſtia arteriæ, quam conſtipando triſtitia efficit. Hanc enim ea ratione, quam diximus, ad vocis acumen conferre fatemur; qua mente Ariſtoteles loco ſuperiùs citato ait, flentes acutè vociferari, ὅτι συντείνοντες καὶ συνάγοντες τὸ στό-

μαφωνῶσιν : quia contento, & coacto ore vociferantur. At ridentes graviorem vocem edunt, quia calor in iis magis diffunditur; eóque languidè aërem impellit: arteria ut reliquæ corporis partes, laxa eſt, nec ita anguſta. Et hæc pro quæſtionis explicatione ſufficiant. De vocis natura & differentiis plura à nobis & accuratiùs (nî fallor) in noſtro libro *de voce*, quem, Deo juvante, edituri ſumus, diſputata ſunt.

Problema XV.

Cur flentium lacrymæ calidiores, qui autem expiratur aër frigidior, contrà ridentium lacrymæ frigidiores videntur, anima calidior.

AN ita uſu veniat, fateor me non eſſe expertum: cur tamen ita fieri exiſtimem, præter Ariſtotelis auctoritatem & Homeri (qui in loco à nobis jam citato flentem Patroclum inducens, δάκρυα θερμὰ, *lacrymas calidas*, quas is

funderet, conſultò appellat) præter, inquam, eas auctoritates, ratio valde probabilis afferri poteſt. Diximus ſæpius eam eſſe vim triſtitiæ, ut intro ſpiritus & ſanguinem revocet; hoc modo effici, ut calor intus augeatur, fumi acres ad caput erumpant, ceu quadam ἀντιπεριστάσει, qualem frigus ambientis facere ſolet. Hinc quæſtio enodatur. Nam fumi illi & vapores calidi ſurſum per venas delati ſeroſos capitis humores calefaciunt, quibus ex humoribus lacrymas habere ortum palam eſt. Contrà in riſu & gaudio, dum cor laxatur, ſpiritus, ſanguis, caliditas ad ambitum corporis feruntur; tum autem per poros itidem laxatos ſpiritus, fumi, vapores liberè exhalant: cui conſequens eſt, humores intus reddi tepidiores, præſertim ſerum, quod ob aqueam naturam citiùs refrigeſcere aptum eſt. Ob hanc cauſam, qui multùm rident, celeriùs ſeneſcere, ex Ariſtole & Alexandro refert Aponenſis. Accedit, quod qui plorant, extimas partes atque ipſum vultum frigidiorem habent; qui rident calidiorem: quod

illis calorem intrò abduxerit triſtitia: his gaudium extrà effuderit. Quid mirum igitur, ſi in vultum frigidum fluentes lacrymæ calidiores: in calidum frigidiores videantur.

Longè diverſa eſt aëris expirandi ratio. Nam ut is, cùm per os violentiâ exploditur, frigidus eſt, cùm leniter aperto ore emittitur calidus: ſic in triſtitia qui expiratur frigidior, quia coactus erumpit, cùm propter auctum intus calorem, tum propter meatuum coarctationem. In riſu contrà eſt calidior: quia per laxos meatus, apertumque os lentè effertur, & ut (voce Ariſtotelis utar) διαλελυμένως.

Problema XVI.

Cur lacrymæ à morbo frigidæ.

IN morbis quibuſdam oculorum frigidas lacrymas emitti docet Ariſtoteles ſect. 31. probl. 24. & meminit Avicenna 3. can. fen. 3. tract. 1. his verbis: *Et quandoque quidem multiplicantur lacry-*

ma frigidæ in ſpeciebus Ophthalmiæ propter privationem digeſtionis. Cauſa eſt, ut hîc Avicenna ait, & Ariſtoteles confirmat in illius problematis explicatione, humorum cruditas ab oculorum intemperie atque imbecillitate; non quòd lacrymæ ita coquantur, ut in ſubſtantiam corporis converti poſſint; id enim ſeri conditio non recipit; ſed quia ſerum certo modo à calore naturali vincitur atque terminatur, quod ſpecies quædam coctionis cenſetur. Hoc modo quæ in tumoribus conſiſtunt, cocta eſſe dicuntur, cùm pus factum eſt: & lacryma concocta, cùm lema extiterit: ſicut ab eodem ſcriptum eſt in libro de miſtorum affectionibus, quem vulgò quartum librum Meteororum appellant: καὶ πεπέφθαι φαμὲν ὥσπερ τὸ γλεῦκος καὶ τὰ ἐν τοῖς φύμασι συνιστάμενα, ὅταν γένηται πύον· καὶ τὸ δάκρυον ὅταν γένηται λήμη. Ejuſmodi autem coctionis ſeu pepaſmi modum deinceps ita explicat: συμβαίνει δὲ τοῦτο πάσχειν ἅπασιν, ὅταν κρατηθῇ ἡ ὕλη καὶ ἡ ὑγρότης· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ὁριζομένη ὑπὸ τῆς ἐν τῇ φύσει θερμότητος· ἕως γὰρ ἐνῇ αὐτῇ ὁ λόγος, φύσις τοῦτ'

ἐπ. i. *Accidit autem omnibus id pati, cùm victa fuerit materia & humiditas: hæc enim eſt quæ terminatur ab ea, quæ in natura caliditate. Quandiu enim inſit in ipſa ratio, natura hoc eſt.* Eadem de cauſa frigidi interdum ſudores in morbis erumpunt, qui aut morbi longitudinem indicant, aut ægrum citò moriturum, nempe in febribus acutis, teſte Hippoc. Aphoriſ. 37. ſect. 4. A quo edoctus princeps Poëtarum ſcripſit 3. Georg.

Incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus.

Cùm igitur ſeroſi illi humores à calore ſubacti non fuerunt, aut quia magnâ copiâ redundant, aut quia calor ipſe nativus languet: tunc meritò ob cruditatem frigidiores ſentiuntur.

PROBLEMA XVII.

Quomodo fletus dolorem capitis excitet.

ADSCRIBERE libet Apulei verba ex l. 3. Metamorph. *raptim denique paupertina Milonis cœnula perfunctus, cauſatuſque capitis acrem dolorem, quem mihi lacrymarum aſſiduitas incuſſerat, cubitum venia facilè tributa concedo.* hæc ille. Hujus doloris plures cauſæ eſſe poſſunt: aut enim halitus acres membranas capitis vellicant: ſive humor ſeroſus à calore liquatus, aut triſtitiæ contractione expreſſus eaſdem replet ac diſtendit: aut denique curæ aſſiduitas (nulla enim afflictis quies) ſpiritus inflammat: velut interdum in profunda & longa contemplatione accidit. Quòd ſi verum eſt quod ait Manelphus, viſum nimio fletu aliquando amitti: aliqua ex his cauſis fieri crediderim, nempe ſeri ad caput confluentis aliqua parte in nervos opticos delata,

qua obſtruuntur. Quod probabilius puto, quàm quòd, ut idem Manelphus ex Plinio affert, vehementi cogitatione abducatur intus viſus: verba quibus id docet Plinius, hæc ſunt; *magna cogitatio excæcat abducto intus viſu.* Quod dictum ita accipit, ac ſi in ſententia Plinii potentia ipſa videndi intenſiori cogitatione omnino interficiatur, propterea quod ſimpliciter excæcare dicit. Quæ quidem interpretatio hominis eſt oſcitantis, vel potiùs dormitantis. Quòd enim de actu (ut vocant) ſecundo ſeu functione, non autem de facultate ipſa, hæc verba accipienda ſint, ea quæ deinceps ſequuntur, maximè declarant: cùm idem ſuam ſententiam explicans comitialium & dormientium exemplum adducit, quos ſi quis viſu privari ac prorſus excæcari putat, ſtultus eſt.

Probl.

PROBLEMA XVIII.

Cur qui equo vehuntur, quò citiùs equus decurrerit, eò magis lacrymas emittunt.

MVLTIS modis hoc problema ſolvit Philoſophus. Primò quidem cenſet aërem currenti frigidiorem objici, quòd novus ſubinde occurrat: novum autem eſſe frigidiorem, quia nondum contactu corporis potuit incaleſcere. Eo igitur oculos, quorum ſenſus acutiſſimus eſt, ita affici ut lacrymas emittere cogantur. Secundò, calori quē motus excitat, id poſſe adſcribi, quòd calor nihilominus, quàm frigus lacrymas ciendi vim habeat, ſicut ſolis exemplo cognoſcitur, quem qui adverſum intuentur, lacrymāt. 3. Quòd qui incitatiùs currunt, aëris adverſi objectu oculos ſibi verberari ſentiant; quod cùm ſine dolore eſſe non poſſit, lacrymas ſequi neceſſe eſt. Non eſt verò quod quiſquam miretur, aërem tenuiſſimum, miniméque

O

ſolidum, poſſe oculis impulſu dolorem afferre. Etſi enim talis maximè aër eſt, tamen motu ſubito diviſus denſatur propterea quòd non eadem celeritate omnes ejus partes decedere poſſunt: denſatus autem reſiſtentiam habet, & ita ſubeuntes oculos ferit, ut & ventorum exemplo patet, qui ex adverſo ingruentes oculos perturbant. Verba autem Philoſophi hæc ſunt: ὡς γὰρ ἄνεμοι ταράττουσιν, οἱ ἐξ ἐναντίας τὰ ὄμματα· οὕτως ὁ ἀὴρ προσπίπτων, ὅσῳ ἂν θᾶττον ἐλαύνῃ, τοσούτῳ μᾶλλον ποιεῖ πληγὴν μαλακήν.

Problema XIX.

Quomodo ſol intuentibus lacrymas excutiat.

Quia Philoſophus in ſuperioris problematis explicatione exemplo uſus eſt ſolis, cùm lacrymas calore elici probare vellet, viſum eſt ſeorſim excutere, qua vi ſol exprimat lacrymas, caloriſne quem radiis excitat, an alia occul-

lore. Sanè calori id videtur adſcribe-
re ipſe Ariſtoteles. Cùm enim eo loco
à calore lacrymas cieri dicat; fruſtrà
ſolem in exemplum adduxiſſet, niſi e-
xiſtimaſſet ſolem calefaciendo oculos;
lacrymas ab iis educere. Verba autem
ejus plana ſunt: καὶ γὰρ τὸ θερμὸν ποιεῖ δα-
κρύειν, οἷον ἥλιος. ad quæ verba Apo-
nenſis ita commentatur: *Et eſt quod ca-
lidum cauſat lacrymas; ſicut & frigidum:
puta ſol qui eſt calidus effectivè & maximè
cùm quis ipſum non obtenebratum intuetur
diu: eo quod oculum debilitat, humiditates
ſubtiliat, & poros aperit: ſic igitur calidum
cauſat lacrymas.* Qua enarratione oſten-
dit ſolem calore quem radiis excitat
in oculo ejus qui ipſum contuetur, la-
crymas ciere: quia licèt ſol radiique
ejus non ſint formalitèr (ut loquuntur)
calidi; ſunt tamen efficienter calidi;
hoc eſt vim habent caloris in aliis rebus
gignendi.

Verumenimverò non paucis hæc ſen-
tentia obſtructa eſt difficultatibus.
Quoniam inde ſequeretur ſolem haud
alia ratione viſum oblædere, quàm ca-
lefaciendo: certum enim eſt oculos la-

crymare conſpectu ſolis,quia ejus nimia luce offenduntur. Quòd autem lux ſolis nõ ita offẽdat oculos,quia calefacit,ſed per ſe, hinc planè perſpici poteſt, quòd flagrantiſſima æſtate nemo vel calidiſſimo in loco poſitus, niſi in ſolem aut lumen rectà inſpiciat, viſum ſibi lædi ſentiat. Quin calidiſſimo in conclavi, imò verò in hypocauſtis & laconicis concluſus magnum toto corpore ardorem perſentiat citra peculiarem conſpectus noxam. Sed & per nives iter facientibus viſus extinguitur,ut olim Xenophontis militibus,ſolius, opinor,candoris vi. Quis enim tam vecors, ut nivibus oculos aduri fingat? Quamobrem aliud quidpiam luci occultius inſit neceſſe eſt, quo viſus lædatur. Quid autem illud ſit, explicare arduum imprimis ac difficile eſt: pauciſſimi adeo ſunt qui à tanta difficultate ſeſe expedire poſſint. Galenus lib. 10. de off. part. cap. 3. ab excellenti luce viſoriam facultatem, cujus natura eſt lucida, diſſolvi cenſet, atque ita cæcitatem induci, haud ſecus ac lucerna ſi ingenti flammæ admoveatur, marceſcit ſtatim

atque extinguitur : φθείρεται (ὀπτικὴ δύναμις) διαφορουμένη, κατὰ τὴν πρὸς τὰς λαμπροτέρας τε καὶ σφοδροτέρας αὐγὰς ἀθρόον ὁμιλίαν. Ceu verò novi ſpiritus animales in locum eorum qui diſſipati fuerint, ſubrogari ſtatim non poſſint. Qui autem dicunt non modò influentes, ſed & inſitos glaciali humori ſpiritus diſſolvi, novis ſe implicant difficultatibus. Quos enim ſpiritus inſitos dicunt? nempe quales in aliis partibus. At hi à lumine quantumvis intenſo non diſſipantur. An iis ſimiles qui à cerebro influunt? At ejuſmòdi ſpiritus oculis inſitos neque Galenus agnovit, neque cauſa eſt cur agnoſcamus: quorsū enim iſti, cùm qui à cerebro deſcendunt, præſto ſemper ſint, utique viſioni adjuvandæ pares?

Cùm tot ei opinioni difficultates obſtent, Vopiſcus Fortunatus Plempius lib. 3. ophthalmographiæ, probl. 4. primus novam viam inſiſtere auſus eſt. Lucem bellum gerere cum materia ad quam appellit, ſtatuit, ut ſcilicet eam extenuando, atque inflammando ſibi aſſimilet, quod cùm facit, res quæ in

materia conſiſtunt, neceſſariò corrumpere. Verùm nec ea ratio intelligitur, nedum ut ſatisfaciat. Quomodo lux pugnare poteſt cum materia in qua recipitur? deinde quid eſt quod ait lucem eniti ſibi aſſimilare materiam. Nonne lux eſt accidens, materia ſubſtantia? quomodo igitur ſubſtantia accidenti aſſimilari poteſt? quæ nova eſt hæc naturæ lex, ut quod ſubſtantia eſt, accidens fiat, reſque de uno prædicamento in aliud concedat? Cur autem lux attenuando aſſimilat, quæ non eſt tenuis? ſola enim corpora tenuia aut craſſa, lux ipſius judicio non eſt corpus. Imò neque corpus lucidum tenue, neq; ſol tenuis aut perſpicuus, ſed omnium Philoſophorum atque Opticorum ſententia opacus.

Ego eos qui ſolem fixis oculis aſpiciunt, ab ipſa luce excæcari puto, quod quomodo fiat, paucis explico. Lux ſolis cùm ſit excellentiſſima, tam vehementer agit in organum viſus, ut ſimilem lucem ei imprimat, glaciali inquam humori quem principem oculi partem in qua fit viſio, cum Antiquis & Fortunio Liceto ſtatuo, Id ex eo in-

telligi poteſt, quòd qui aliquid ſplendidius contuiti ſunt, ſpeciem ejus per aliquod tempus oculo infixam retinent, quæ paulatim marceſcit atque extinguitur, quia non ſatis altè impreſſa eſt; & quamdiu eam ſpeciem habent, alias res videre non poſſunt, quod quæ jam recepta eſt, reliquas excludat. Id nemo non quotidie experitur. Sic ergo exiſtimo, lucem ſolis, cùm omnium adſpectabilium qualitatum potentiſſima ſit, in viſum potentiſſimè agere: quo autem agens aliquod agit potentiùs, eo altiùs vim ſuam materiæ imprimit: quæ igitur ſummè in aliquo genere agunt, vim ſuam tam altè ſubjecto infigant neceſſe eſt, ut inſtar habitus permaneat, neque amplius deleri poſſit. Ita igitur vis ſolis vehementiſſima, glaciali oculorum humori lumen indelebile imprimit, quod cùm fiat intimum atq; ut ita dicam, habituale, ab ipſo viſu percipi ampliùs non poteſt. Sed neque alias res adſpectabiles percipi ſinit, ut pote quarum ſpecies minùs validæ oculum fortiori occupatum movere non poſſunt: nihil ergo eſt, quod oculus

ampliùs videre poſſit. Id autem cæcitatem appellamus.

Ex his patet ſolem non calore quem producat, ſed luce nimia quam imprimat, viſum lædere; qua etiam ipſa lacrymas excutit; hoc tamen diſcrimine, quòd ipſa lux per ſe viſum eripit, lacrymas non per ſe, ſed propter dolorem, quem oculo infert, exprimit: in glaciali oculi humore cæcitatem, in membranis dolorem excitat. Non enim perinde tactu valet cryſtalloides, ac membranæ, ſoli viſui deſtinatus. Dolorem porrò ab immodica luce accipiunt membranæ, quia diſtenduntur ſupra modum: diſtenduntur autem propter ſubitum animalium ſpirituum cõventum, qui confertim ad oculũ lucis cognatæ deſiderio affluunt. Inter hos enim & lucem magna eſt naturæ conjunctio, ut pleriſque exemplis probari poteſt. Horum igitur copia membranas oculorum diſtendens non mediocrem excitat dolorem, qui mox humores ad oculos, ut & in aliis corporis partibus facere ſolet, undiquaque evocat.

PROBLEMA XX.

De aliis quibuſdam lacrymas cientibus.

SVNT & alia complura, quorum vi lacrymæ eliciantur. Primùm quidem vinum largiter ingurgitatum homines ita comparat, ut perfacilè lacrymas profundant. De qua re verſus Homeri circumfertur.

Καί μέ φασι δάκρυ πλώειν βεβαρημένον οἴνῳ.

Theodorus ita vertit;

Me victum Baccho lacrymas effundere dicunt.

Quod Philoſophus ſect. 30. Probl. 1. de miſericordia accipere videtur, quam vinum corde laxato excitet. Sed & citra hunc affectum, oculos crapulâ humectari conſtat, dum cerebrum aſſiduis vaporibus pulſatur, qui illic in humorem denſantur. Vnde illud Naſonis de Anu fœda & ebrioſa 1. Amor. Eleg. 8.

Lacrymoſaque vino
Lumina.

Tum Apuleius quemdam item vinoſum deſcribens in Apolog. I. id quoque annotat. *animadvertiſſes caput juvenis barba & capillo populatum, madentes oculos, cilia turgentia*, &c. Galenus in Protreptico ait miſeros illos Gladiatores (ita enim, quos ille Græcè ἀθλητὰς appellat, accipere decet) illos inquam Gladiatores, ex longa plagarum conſuetudine, quas in facie circa oculos, pugnando excipiebant, cùm aliis incommodis, tum crebris deſtillationibus oculos infeſtos habuiſſe: οὕτω καὶ τὰ τῶν ἀθλητῶν σώματα σαθρὰ καὶ ἀσθενῆ ταῖς κατὰ τὴν ἐπιτήδευσιν γεγονότα πληγαῖς ἕτοιμα πρὸς τὸ πάσχειν ἐστι, ἐπὶ ταῖς τυχούσαις προφάσεσιν· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμοὶ περιωρυγμένοι πολλάκις, ὅθ' ἡ δύναμις οὐκέτι ἀντέχει πληροῦνται ῥευμάτων Eoque fortaſſe ſpectant hæc Iuvenalis ubi Sergii Gladiatoris formam narrat.

Præterea multa in faciem deformia, ſicut
Attritus galea, mediiſque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum ſemper ſtillantis ocelli.

Quem locum ſuperiora Galeni verba illuſtrant. Nam ex diuturnis in oculos fluxionibus fiſtula lacrymalis dicta ortum habet, quam à Satyrico acre malum ſtillantis ocelli dictam arbitror. Iam fumum, ſinapi, Medici mali corticem, & alia id genus acria morſu lacrymas ciere palam eſt: Cepam autem & lentore id præſtare cenſet Cardanus lib. 8. de variet. rer. cap. 44. qui & teſtem citat Rhodiginum. Quod nimirum humor ille lentus poris oculorum infarctus ſpiritus, ne foras difflentur, prohibeat, ſuoq; ſepto contineat, qui ita incluſi in humorem neceſſariò denſentur. Eadem ratione & ipſum quoque oleum oculis infuſum lacrymas provocare ibidem aſſerit, cujus rei & Perſius meminit Sat. 3.

Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituro verba Catoni
Dicere.

Mihi autem Cardanus non uno modo deceptus videtur. Primùm quòd ab allio lacrymas cieri neget: Non meminerat

tunc Ruſtici Virgiliani, qui in moreto conficiendo,

> *Simo damnat ſua prandia vultu,*
> *Sæpe manu ſumma lacrymantia lum na tergit,*
> *Immeritoque furens dicit convicia fumo.*

Eſt autem moretum edulii genus, cujus baſis (ut verbo utar Pharmacopœorum) allium eſt: *μυττωτὸν* Græci vocant, Plautus *Alliatum* in Moſtellaria. Præterea nec cepā nec oleum ita eſſe auctores lacrycrymarum, quomodo Cardanus autumat, verbis Philoſophi evinci poteſt, ad quem ceu ad tribunal veritatis à ſententia Cardani provoco: τὸ ἔλαιον (inquit ſect. 20.) ποιεῖ δακρύειν, ἀσθενῆ ἔχον δῆξιν· διὰ γλισχρότητα γὰρ καὶ λεπτότητα παραδαλμίον ποιεῖ τὸν πόνον καὶ τὴν σύντηξιν. Et in 31. ſect. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ κρόμμυον καὶ ὅσα ἄλλα δάκνει τοὺς ὀφθαλμούς· τὸ δὲ ἔλαιον μάλιστα τῶν ὑγρῶν ὅτι λεπτομερέστατον· τοιοῦτον δ᾽ ὂν εἰσδύει τὰ τῶν πόρων. quibus verbis patet non lentore oleum, ſed tenuitate ſubſtantiæ lacrymas movere, dum oculorum meatus anguſtiſſimos penetrans morſus ac doloris ſenſum excitat.

Et hæc de lacrymis ſufficiant. Reſtat ut ſupremæ Sapientiæ gratias agamus, cujus ope ſuſcepta hæc à nobis diſceptatio eſt, & ad exitum perducta.

Gratias tibi Domine Ieſu.

W

INDEX,

RERVM ET VERBORVM.

A

ACCIDENTIA proſunt ad cognitionem eſſentiæ. *pag.* 41
Acetum qua ratione juvet aquæ diſtributionem. 57
Achillis Tatii locus. 20
Achillis Tatii locus elegans. 182
Aër ab ore emiſſus cur modò calidus, modò frigidus ſentiatur. 204
Æſchylus Homeri admirator. 20
Æſtuantes à potu frigidæ aquæ cur ſudent. 19
Æſtuantibus cur non unà cum ſudore lacrymæ erumpant. 44
Æthra quid. 20
Ajin Hebræis fons, oculus. 2
Αἱμοῤῥοΐδες. 75
Alcibiadis teſtimonium de ſermonibus Socratis. 162
Alexander Pheræorum tyrannus in theatris flere ſolitus. *ibid.*
Alliatum Plauto quid. 220

Animalia in aqua & terra tantùm. 52
Anima non eſt antiquior corpore. 144
Animi cultus & diſciplinæ mores emolliunt. 172
Ad animi functiones quiete opus eſt. 72
Anus flentis deſcriptio apud Homerum. 193
Ἀπάθεια. 176
Ἀπαθεῖς qui dicantur. 167
Apium riſus. 100
Apollodorus ὠνήθης, ad lacrymas pronus. 166
Apollodorus Socratis damnati vicem deflet. *ibid.*
Aprorum lacrymæ cur dulces. 65
Aqua coctione quomodo ſalſa efficiatur. 61
Aquæ genera ſaporum innata ſecundùm Empedoclem. 61. & 62
Aquæ ſpecies quæ dicantur Ariſtoteli. 58
Aqua ex vaporum condenſatione. 17
Aqua in humorum noſtrorum generatione non perfectè aliis elementis miſcetur. 56
Aqua in miſtis duobus modis. 54
Aqua quomodo ſimplex dicatur. 61
Aqueus oculi humor vulnere effuſus, & denuò inſtauratus, 34
Ariſtoteles reprehenditur. 201
Aſpaſiæ verſus de Socrate. 106
Athletæ cur olim certantes ingemiſcerent. 99
Averroïs & Hofmanus Ariſtotelis ſententiam de uſu cerebri interpolarunt. 69
Aures in jumentorum genere animi indices. 127

B

BILIS pro ira. 113
Boni cur ad lacrymas propenſi. 173
Brutum potionis genus apud Ægyptios. 58

C

CALLIPIDIS hiſtrionis gloriatio. 161
Calor motus atque agitationis cauſa. 72
Calvi an lacryment. 176
Canities præmatura ex fletu repreſſo. 180
Cardani error de allio. 219
Carnoſa opercula in angulis oculorum, & eorum uſus. 77
Carteſii ingenium quale. 23
Carteſii opinio de materia fletus. 17
Carteſii opiniones monſtrorum inſtar. 23
Caſſii Iatroſophiſtæ opinio de lacrymarum materia exploditur. 33. & 34
Κατάῤῥοι. 26
Cepa qua vi lacrymas eliciat. 219
Cerebrum cucurbitulæ medicæ aſſimilatur. 67
Cerebrum cur ſero abundet. 66
Cerebrum cur temperamento frigido. 67
Cerebrum metropolis frigidi & glutinoſi. 34
Cerebrum radix morborum. 67
Cereviſia. 58
Chriſtum ſæpius fleviſſe legimus, riſiſſe nuſquam. 6
Cinis lixivus cur amarus. 64
Κλαυθμώδεις ἀναπνοαί. 95
Cohibitio ſpiritus genus exercitationis. 96
Collum iſthmo comparat Plato. 72

Con-

Conceptacula humorum in animali. 15. 35
Cor affectuum omnium ſedes. 102
Corde contracto reliquæ contrahuntur partes. 92. & 93
Cordis inuolucrum. 15
Cordis mollities manſuetudinis cauſa, durities feritatis. 170
Cordis motus duo. 82
Cordis prima & præcipua omnium caro. 169
Cordis ſanguis lacrymæ. 16
Cor muſculus validus Hippocrati. 169
Corneliæ Gracchorum matris conſtantia. 175
Cypſeſis à ſordibus non differt. 38
Cyrenaici Philoſophi duos tantùm animi affectus ponebant. 81

D

DACRVMA. 7
Damnati apud inferos an omnis voluptatis expertes. 184
Definitio humidi. 51
Delphini deſiderio mortui. 132
Deſtillationum ortus. 17. & 18
Διακεχυμένοι. 110
Diſtinctio excrementorum capitis penes exhalationes partium inferiorum imaginaria & abſurda. 29
Dolor & triſtitia differunt. 83
Dolor humores ad partem dolentem attrahit. 216
Dolor per lacrymas effluit. 178

E

ELEMENTA è miſtis ſola putredine reſolvi poſſunt. 57
Elementa humida duo, aër, & aqua. 51
Elephanti ab homine ſecundi.. 131
Elephanti Pompei ſeſe complorantes. *ibid.*
Elephantorum & Crocodilorum cutis. 170
Empedoclis ſententia de generatione lacrymarum. 40
Equi à Iulio Cæſare conſecrati. 129
Equi lugent dominos. 128
Εὐφαντασιωτής. 158
Excrementa non habent finem activum, ſed paſſivum tantùm. 123

F

FABRITII ab Aquapendente opinio de materia fletus. 31
Fernelii ſententia de ortu deſtillationum. 26
Fiſtula lacrymalis. 219
Flentes intenduntur. 96
Flentium geſtus. 192
Flenrium vultus qualis. 93
Fletum incipere à præcordiis cenſuit Manelphus. 97
Fletus & lacryma differunt. 2
Fletus inhibitio periculoſa. 179
Fletus pueris palæſtræ loco. 96
Fletus qua ratione dolorem levet. 180
Fletus ſine voce eſſe poteſt. 193

G

GALENI liber de ambiguis motibus. 122
Galeni prudentia. 149
Galeni ſententia de excæcatione à ſolis obtutu. 212
Gaudium per ſe lacrymas excutit. 108
Gemitus etymon. 94
Gemmæ in plantis unde dictæ. *ibid.*
Glacialis humor princeps oculi pars. 214
Gladiator Græcè ἀθλητὴς apud Galenum. 218
Gladiatorum incommoda. *ibid.*
Glanduloſæ mammæ. 15

H

HALYABBATIS ſententia de dignoſcendo oculorum temperamento. 32
Heraclitus aſſiduè fleſſe dictus. 14
Heroes cur φιλοδάκρυες. 167
Heroes flentes apud Homerum. 164
Hippocrates emendatus. 139
Hippocratis ſententia de gaudio explicatur. 110
Hiſtrionum lacrymæ. 158
Hofmannus non rectè defendit Ariſtotelem. 69
Homerus flentes fontibus comparat. 2
Homerus literarum parens. *ibid.*
Homines cur malis aſſueſcant. 184
Homines piloſo corde hebetes, intrepidi, feri. 170
Homines ſiccoculi. 175
Humores & membra ſpirituum motum ſe-

quuntur, ut ferrum magnetis. 88

I

Iχὼς & ſerum humorum idem. 47
Iχὼς Homero ſanguis Deorum. 46
Iχὼρ quid. *ibid.*
Infantes vix lacrymant. 141
Ionis Rhapſodi faceta oratio. 161
Iræ definitio. 114
Iugurtha Numidiæ Rex ex dolore amens ridet. 195
Iulius Cæſar pronus ad lacrymas. 177
Iulius Cæſar Scaliger notatur. 141

L

LACRYMÆ à gaudio pauciores quàm à triſtitia. 104
Lacrymæ an poſt reſurrectionem. 17
Lacrymæ coactæ. 155
Lacrymæ in morbis quid ſignificent. 13
Lacrymæ materia an gignatur in ipſo fletu. 14
Lacrymæ nomina & etymon. 7
Lacrymæ non omnes ex vaporibus. 25. 26
Lacrymæ non ſunt inſtitutæ à natura ad mœrorem ſignificandum. 115
Lacrymæ omni oratione efficaciores ad perſuadendum. 5
Lacrymæ voluntariæ, involuntariæ. 11
Lacryma in plantis quid. 9
Lacryma nihil citius areſcit. 3
Lacryma pituitæ conſiſtentis ſerum. 39
Lacryma quid. 13
Lacryma quo ſenſu cruda aut cocta dicatur. 205

Lacrymare κατὰ προαίρεσιν quid ſit. 12
Lacrymarum cauſæ efficientes duæ, dolor & voluptas. 80
Lacrymarum cognitio Medicis utilis. 4
Lacrymarum materia ſerum. 41. 42
Lacrymas alias à cerebro, alias à corde prodire nonnulli autumant. 79
Lacrymas à gaudio cieri tantùm per accidens putat Malphus. 102
Lacryma Saturni. 10
Lacrymas certi tantùm animi affectus cient. 38
Lacrymas non ideo excerni quòd ſpiritus acres, oculos pungant, ut voluit Manelphus. 97
Lacryma ſudor quidam. 39
Lætitiam minùs quam triſtitiam ferre poſſumus. 104
Lætitia per ſe lacrymas excutit. 106
Lectio ut lacrymas eliciat. 162
Lema. 205
Leones morientes lacrymare dicuntur. 130
Lux vehemens quomodo auctor cæcitatis. 214

M

Mare cur graviora onera fert quàm fluvii. 64
Mare cur ſalſum. 61
Marina aqua ut dulceſcat. 63
Maro hiſtoriæ animalium ſtudioſus. 129
Meletii opinio de materia fletus. 17
Mentis operationes divinæ. 72

Miſtura moleſti & jucundi apud Platonem. 186
Mœroris inſignia. 179
Mœroris ſolatia varia. 191
Mœſtis cur flere dulce eſt. 188
Morbi puerorum. 148
Moretum quid. 220
Motus cœlorum quomodo neceſſarius generationi. 23
Motuum criticorum ratio. 89
Mulieres cùm volunt lacrymant. 156
Mulieris peccatricis lacrymæ. 5
Muſicæ principia apud Theophraſtum. 120
Μυτλωτὸν. 220

N

NASCENTIVM fletus unde. 141
Naturæ pravæ indicium nunquam flere. 175
Natura non imponit rebus accidentia ut his promoveamur ad eſſentiæ cognitionem. 121
Niobes in ſaxum converſæ fabula quid ſignificet. 194
Nominum cognitio utilis. 7
Nubes doloris apud Homerum quid. 19
Nutricis officium. 149

O

OCVLI cerebri excrementa excipiunt. 75
Oculi crapula humectantur. 217
Oculi cur non uti aliæ partes ſudant. 45

Oculi cur ex aqua non autem ex aëre conſtituti. 52
Oculi diverſoria lacrymarũ non domicilia. 43
Oculorum conformationis ratio. 25
Oculorum meatus. 77
Oculorum ſenſus acutiſſimus. 209
Oleum oculis infuſum cur lacrymas provocet. 219
Opinio Ariſtotelis de uſu cerebri. 71
Opinio & rationes eorum qui hominem ſolum flere aſſerunt. 127
Orationes Demoſthenis & Ciceronis. 197
Oratorum lacrymæ. 5
Ὀρρὸς quid propriè. 46

P

PERSII loci cujuſdam explicatio. 107
Petri Apoſtoli lacrymæ. 5
Phalanthi hiſtoria lepida. 20
Philomela ereptis pullis flet apud Maronem. 130
Philonis Hebræi ſententia abſurda de extenſione animæ in gaudio. 111
Phocionis Athenienſis mores. 175
Phthiſi extrema conſumpti ridere cur videantur. 102
Piſonis immanitas. 179
Placentini error. 8
Plinii locus perperam intellectus à Manelpho. 208
Plinius emendatur. 135

Poëtæ Deos Deaſque flentes introducunt. 6
Ποιεῖν Græcis, ſicut & *facere* Latinis interdum idem eſt quod movere. 29
Præcordia in triſtitia non concutiuntur. 99
Præcordiis trajectis morientes ridere videntur. 100
Præficæ. 154
Præmoleſtia M. Tullii vox. 81
Primarii affectus dolor & lætitia.
Προαίρεσις. 12
Procli locus elegans. 167
Procris etiam triſtis formoſa. 94
Proportio elementorum in animalium conſtitutione. 52
Proteſilai uxor ἀμφιδρυφὴς cur dicta Homero. 154
Πτερύγια. 78
Pueri iracundi.
Puerilis ætatis partitio. 148
Puerorum cerebrum ampliſſimum atque humidiſſimum. *ibid.*
Puncta lacrymalia. 78
Puppii poëmata. 106
Putrefactionem veteres pro coctione dixerunt. 58

Q

QVINTILIANO in cauſis agendis lacrymæ frequenter obortæ. 158

R

RIDENTIVM vox cur gravior. 202
Riolanus leviter perſtrictus. 78
Riſus ex ingenti pavore. 191
Riſus homini proprius, non item fletus. 135
Riſus nimis frequens ſenectutem accelerat. 203
Riſus principium non eſt in præcordiis. 100
Riſus quomodo fletui contrarius. 134
Riſus Sardonius. 100
Ῥύας. ß. 78

S

SABINÆ mulieres. 5
Sanguinem fluidum eſſe beneficio caloris, quo ſenſu dicat Hippocrates. 50. 51
Sanguinis morboſi incommoda. 74
Sanguinis propria ſubſtantia quæ. 56
Sanguis capitis quo ſenſu tenuis & ſincerus dicatur. 73
Sanguis cur non ſtatim à vulnere inflicto ſequatur. 181
Sanguis morboſus quis. 73. 74
Sanguis non eſt miſtum perfectè homogeneum. 57
Sanguis per oculos ſponte erumpens. 113
Sanguis quandiu eſt in venis nunquam, ac ne in cadaveribus quidem coagulatur. 42
Sanguis quomodo miſtum perfectum cenſeatur. 56
Sardoniæ herbæ vis. 100
Scanderbeci impetus. 114
Seneca verus magiſter ſententiarum. 139

Senes quomodo humidi. 151
Sennerti opinio de materia ſeri. 60
Sententia Hippocratis de ſudoris generatione declaratur. 27
Senum corpora laxiora. 151
Sergius Gladiator. 218
Seri generatio. 49
Seri per oculos diverticulum. 122
Seroſi excrementi ſedes quæ in corpore. 44
Seroſi excrementi uſus. *ibid.*
Servitutes urbanorum prædiorum. 76
Servius Grammaticus reprehenditur. 129
Serum alimenti vehiculum quo ſenſu dicatur. 53
Serum idem omnium humorum. 48
Serum ex aqua inſipida ut ſalſum efficiatur. 64
Serum quo longiùs penetravit in habitum corporis, eo ſalſiùs efficitur. 62
Serum ex dolore aut gaudio non alii humores. 112
Sileni dictum. 143
Singuli affectus præcipui proprium ſibi humorem movent. 113. 114
Singultus quomodo fiat. 95
Socrates eodem ſemper vultu. 167
Socratis mors. 159
Socratis oratio qualis. 162
Sol neque tenuis eſt, neque perſpicuus. 214
Sol ut lacrymas cieat. 216
Specierum quæ in imaginatione, vis. 86
Speluncas flere dicunt poëtæ. 10

Spem an adjungi oporteat triſtitiæ ut exprimantur lacrymæ. 109
Spes præconceptum gaudium. 81
Spiritus in gaudio cur extendantur. 90. 91
Spirituum dilatatio & contractio primi motus in animalibus. 87
Στενάζειν unde dictum. 94
Sudores frigidi in morbis quid portendant. 206
Sudoris generatio. 18
Sudor ſanguineus. 113
Sudor terræ quid Empedocli. 10
Suidas emendatur. 59
Συκώσεις. 78
Sylla Dictator & Baſſianus Cæſar ad lacrymas proni. 175
Syneſii Platonici pertinacia. 144

T

TAVRORVM vox acutior quàm vitulorum aut vaccarum. 200
Tenuitas & craſſities ſolorum corporum. 214
Theophraſti ſententia de ſudoris ſalſo ſapore expenditur. 62
Timor præconcepta triſtitia dicitur Alberto Magno. 81
Tomaxinæ Cardani amitæ mors. 179
Tragœdiæ Æſchyli. 20
Τέγγος quid. 18
Τεγχώματα. 78
Trauſorum mos. 142
Triſtiſſimis rebus aliquid lætitiæ inter-

venit. 183
Triſtitia cur potiùs ſerum quàm alios humores moveat. 114
Triſtitiæ ſigna in homine. 133
Triſtitia ingens ſtuporis cauſa. 181
Triſtitia vix quemquam repente jugulat, niſi magna adſit plethora. 105
78

V

VAGITVS quid ſit. 140
Υδατίδες. 75
Venæ lacteæ. 50
Venti qua ratione lacrymas eliciant. 210
Υγρασία. 53
Viæ cerebri excrementorum. 76
Villi omnis generis in foraminibus quæ ad angulos oculorum ſita ſunt. 79
Vinum lacrymas provocat. 217
Vinum miſericordiam ut concitet. 217
Vinum quomodo definiatur ad Empedocle. 58
Virgilius affectuum movendorum peritiſſimus. 160
Virorum illuſtrium lacrymæ. 165
Viſus nimio fletu ut extinguatur. 207
Viſus ſenſuum puriſſimus. 25
Vlcus δακρύωδες. 9
Vocis acutæ & gravis cauſæ. 198
Vocis uſus. 118
Vopiſci Fortunati Plempii ſententia de excæcatione à lucidorum conſpectu. 213

Vox animi affectuum index. 119
Vox arbitraria eſt. 192
Vox flentium acutior. 201
Vox qua ratione lacrymas provocet. 196
Vox ut formetur. 96
Vrina multùm ſalis continet. 60
Vrina ſaccatus corporis humor an rectè dicatur. 65

X

XENOPHONTIS milites nivium candore in itinere excæcati. 212

Z

ZYTHVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quæ irrepſerunt menda Typographica, fermè hæc ſunt.

PAG. 15. lin. 7. differt, *lege* differre.
Pag. 34. lin. 8. aquoſum, *lege* aquoſus.
Pag. 161. lin. 5. Rapſodus, *lege* Rhapſodus.
Si qua erunt præterea, ſedulus Lector emendet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google